Rz-844

S 3090.

4.

Stephani Pothárd.

IOANNIS TOMKA SZÁSZKY,

INTRODVCTIO

IN

ORBIS ANTIQVI ET HODIERNI

GEOGRAPHIAM,

PLVRIMIS IN LOCIS EMENDATA,

NOVISQVE AVCTA SVPPLEMENTIS,

OPERA AC STVDIO

IOANNIS SEVERINI.

TOMVS ALTER.

EDITIO SECVNDA.



DUPLUM VENDITUM
e bibliotheca
MUSEI HAT. HUNG.

POSONII et CASSOVIAE,

Impensis IOANNIS MICHAELIS LANDERER,

MDCCLXXVII.

Rev. 1988

S - 3090
853/1939 v. lat.
[illegible]

K

Rev. 77

Okresná ľudová knižnica - Košice
Prir. : 13164/964
Sign Rz-844
Odb. zn. 180.-
915/916

K

PARTIS II
SPECIALIS ALTERIVS,

CAPVT I.

DE

ASIA.

SECTIO I.

DE

ASIA GENERATIM.

§. I.

ASIA, Orbis veteris pars maxima, in *orientem* conuersa, denominationem, ab *Asia*, Oceani ac Thetidis filia, Iaphetique vxore, accepisse dicitur. Multi aliunde vocis originem deriuant e. g. ab *Esch*, ignis, *Asi*, medium, *Asio*, eoque vel Manei, Regis Lydiae filio, vel philosopho, qui Troianos palladio donauerat.

§. II.

Terminatur in *septentrione*, Oceano Scythico seu Boreali; ad *ortum*, pelago Eoo, seu orientali; ad *meridiem*, Oceano Indico; ad *occasum*, mari Mediterraneo, Ponto Euxino, et Volga atque Obio, fluminibus. Est ea quadruplo maior Europa.

§. III.

Ex Oceano, quo circumfunditur, sequentia recipit maria, vtpote:

1. Mare *Scythicum*, seu *Tartaricum*, quod et *Glaciale*, *das Tartarische Meer*, ex septentrionali Oceano profluit.

2. Mare *Anadirscense*, *Meridionale*, *Lemskoe*, *Iaponicum* item, ex Orientali dimanat Oceano.

3. Mare *Chinense*, *Indicum*, *Persicum* atque *Arabicum*, ex pelago Indico profunditur.

4. Mare *Mediterraneum*, cum *Ponto Euxino*, quod et *Nigrum*, ex Oceano Atlantico, in cardine meridionali procurrit.

5. Mare *Caspium*, seu *Hyrcanum*, ex Oceano Scythico, per meatus subterraneos, prout nonnulli putant, deriuatur.

§. IV.

Dispescemus Asiam, dum alia suppetent, in Regiones Maiores XI. hoc ordine:

I. SEPTENTRIONEM obsident:

1. Tartaria Rvssica, cuius vrbs prima: *Toboisko*.

2. Tartaria Chinensis, cuius caput: *Niuche*.

3. Tartaria Propria, cuius vrbs praecipua: *Camul*, seu *Xamo*.

II. ORTVM occupant:

1. Iapponia, insula, cuius vrbs primaria: *Jendo*, seu *Jeddo*.

2. China, vbi: *Peking* et *Nanking*, sedes Regum.

III. MERIDIEM respiciunt:

1. India, cum Insvlis; in qua: *Golconda*, *Goa*, *Caleut*, *Cochin*, *Bisnagar*, *Tanschur*, *Udia*, *Caccian* et *Ava*, metropoles. 2. In-

2. INDOSTANIA, cuius vrbs prima: *Agra.*

3. PERSIA, cuius caput est: *Ispahan* et *Casbin*, regni sedes.

IV. OCCIDENTEM claudunt:

1. TVRCIA ASIATICA, in qua: *Smirna*, *Diarbeck*, *Bagdad*, *Aleppo*, *Mecca*, vrbes primariae.

2. CYPRVS, atque RHODVS, insulae, in mari Mediterraneo; in quibus: *Famagosta*, et *Rhodus*, vrbes primariae.

§. V.

Formam, quasi Draconis volantis, quodammodo repraesentat. Cuius fauces, cum *Ponto Euxino*, *Archipelagus*; *Natolia*, collum; *Turcia Asiatica* atque *Persia*, pectus; *Indostania*, *India* atque *China*, venter; *Tartaria* Independens atque *Chinensis*, dorsum; *Tartaria Russica*, alae; *Iaponia*, cum *Terra Iedso*, cauda; *Insulae Indiae* cum *Peninsulis*, pedes posteriores; *Arabia*, anteriores sunt.

§. VI.

Quod, ad *naturalem* Asiae *statum*, adtinet:

1. Regio, rerum omnium facile princeps, diuersam induit *coeli solique* naturam. Namque ea pars, quae in *septentriones* vergit, aspera est, perfrigida et minus foecunda: quae vero *meridiem* prospectat, cum coelo, tum solo benigna; et propterea, quolibet naturae bono, mirifice *ferti is.*

2. Incolae, partim ex *Semi* et *Iapheti*, partim ex *Chami* posteris progeniti, quanto coelum benignius, tanto corpora quoque ac ingenia habent per naturam, ni consuetudo ea in transuersum raperet, mansuetiora. Qui *anteriorem* incolunt *Asiam*, graues sunt, robusti, proceroque corpore; qui vero *posteriorem* eius inhabitant *partem*, humerosi, facie flaccida, sima nare, turgidisque labris.

3. Linguarum in Asia *genera*, propemodum sunt *innumera*. Inter quas, notiores sunt: *Hebraea* cum *Chaldaea*, Syriaca et Samaritana, quas tamen hodie, mortuis adnumeraueris. *Arabica*, caeteris cultior, amoeniorque, *Turcica*, *Persica*, *Tartarica*, et quidem Scythico Tartarica, Kalmuco Tunguto Mungalica, Chino Tartarica, *Indica*, partim Brachmanica, partim Malabarica, *Russica*, *Malaica*, *Chinensis*, *Iaponica*, aliaeque plures, cumprimis in Insulis.

§. VII.

Quoad *statum*, qui in vsu est, *ciuilem*:

1. Regimen, ad *liberum* Principum *arbitrium* accommodatum per *Imperia* VII. *Regna* LXIV. et Principatus XXXIV. administratur.

2. Imperia, soli Asiae propria sunt: *Persicum*, *Tartaricum*, *Mogolicum*, *Chinense*, *Iaponicum*; *Turcicum* atque *Russicum*, sedem habent in Europa.

3. Regna, magno in Asia occurrunt numero. In *India Cis-Gangem*, XIII; in *India Trans-Gangem*, XV; in *Iaponia* XXIV.; in *Insulis* XII. numerantur. Quorum, quaedam sunt libera, quedam clientelaria.

4. Principatus Asiae, adaeque sunt varii: Scilicet, in *Georgia*, VII. in *Arabia*, XVIII. in *Tartaria*, IX. Eorum omnes, partim *Turcorum*, partim *Russorum*, partim *Tartarorum*, Imperatoribus subsunt, clientelae nomine.

5. Religio Asiatica, quadruplicis est nominis: 1. *Christiana*, et quidem, partim *Orientalis*, Graeci Ritus, Armeniaca, Nestoriana, ad quam Christiani *Thomae* pertinent, *Monophysitarum*, et *Maronitarum* in Syria, Cyproque; partim *Occidentalis*, Romano-Catholica, Euangelica, Reformata. 2. *Mahometana*, in Omar et Aly sectas diuisa. 3. *Iudaica*, et, quae cum ea quodammodo coniuncta est, Samaritana, et

Ka-

Karaea. 4. *Pagana*, in qua, Chinenſis et Brachmanum in India, notiores ſunt.

6. Litterarum ſtudia, praeter *Arabes* atque *Iudaeos*, *Perſae*, *Chinenſes*, atque *Brachmani*, in India, propagant. Celeberrima muſarum apud Indos ſedes eſt *Benares* (Waranaſi, Kaſchi) et *Samarkund*, in ea deorum, in hac Mahomedis cultus, praeter alia ſtudia, iuuentuti inſtillatur.

SECTIO II.

DE

TVRCIA ASIATICA.

§. I.

TVRCIA ASIATICA, *Die Aſiatiſche Türkey*, *Levante*, *Török Orſzág*, olim Graecorum atque Romanorum Imperii pars, nomen a *Turcis*, natione Tartarica, mutuata eſt, occupauitque *occidentalem* Aſiae partem.

§. II.

Clauditur in *ſeptentrione*, Ponto Euxino, et Caucaſo monte; in *ortu*, regno Perſiae; in *meridie*, Oceano, ei ſinu Arabico; in *occaſu* vero, mari Mediterraneo, Archipelago et Propontide.

§. III.

Montium altiſſimi eminent:

1. Caucaſus, qui *Ponto Euxino* et *Caſpio* maribus, imminet, niuibus ſaepe et media aeſtate tectus.

2. Taurus mons, qui ex *Natolia*, per *Turcomanniam*, vſque in Perſiam procurrit, terminus olim Rom. imperii.

§. IV.

MARIVM, quibus incingitur, haec sunt nomina:

1. Pontus Euxinus, seu *Mare Nigrum*, in septentrione.
2. Propontis, *Mar di Marmora*, cum *Bosporo Thracico*, seu freto Constantinopolitano, atque *Hellesponto*, seu freto Gallipolitano, in occasu.
3. Archipelagus Graeciae, seu *Mare Aegaeum*.
4. Mare Mediterraneum, cum *Mari Syriaco*, in meridie et occasu.
5. Sinus Arabicus, seu *Mare Erythraeum*, *Mar di Mecca*, inter Africam et Arabiam.
6. Mare item *Arabicum*, austrum versus diffunditur.
7. Sinus Persicus, *Golfo di Balsora*, scopulosus, cum sinu *Armuziano* Ormus coniungitur: in eadem plaga.

§. V.

Flumina maiora, quae Turciam Asiaticam praefluunt, quatuor numerantur:

1. Sagaris, *Ava*, *Ayala*, *Sangarius*, amnis Natoliae, in Pontum Euxinum cadit.
2. Araxes, *Arax*, fluuius Turcomanniae, in mare Caspium properat.
3. Euphrates, *Forat*, *Phrat*, *Morad Sui*, regionis Bagdad agrum interluit.
4. Tigris, *Dicselat*, *Chidekkel*, Turcomanniae atque Diarbecirae flumen, superiore maius, in sinum Persicum, cum Euphrate, postquam vtrumque, stato tempore, proximos inundauit agros, exit.

§. VI.

Diuiditur, pro regionum numero, in IV. PROVINCIAS, vtut recentiores Geographi, in multo plures eandem omnino dispertiant. Quarum:

1. GEOR-

1. GEORGIA, in *septentrionem* diuergit.

2. TVRCOMANNIA, DIARBECK et BAGDAD, in *ortum* prospectant.

3. ARABIA, in *meridiem* tendit.

4. SORIA et NATOLIA, in *occasum* extenduntur.

§. VII.

NATOLIA, Anatolia olim, ASIA MINOR, Ponto et Mari Mediterraneo concluſa, in REGIONES V. diſpeſcitur, hodie a Turcis in VII; quarum ſunt nomina: *Anadoli*, *Konia*, *Itschil* (hae duae *Caramaniam* efficiunt) *Adana*, *Merasche*, et *Sivas*. Veteri aeuo heic florebant: Phrygia, Myſia, Aeolia, Ionia, Lydia, Caria, Doris, Lycia, Piſidia, Pamphilia, Lycaonia, Cappadocia, Cilicia, Bithynia, Galatia, Paphlagonia, et Pontus.

I. NATOLIA, *Anadoli*, *Anatolia*, in 14. Diſtrictus, ſeu Sangiacatus diuiſa, in *occaſu* ſedet, ibique occurrunt:

1. Cutaye, *Kiutahya*, vrbs regionis princeps, in qua Praetor Turcicus ſedet, in *medio* iacet.

2. Liſſa, *Libyſſa*, quae et *Gebiſe*, oppidum vile, in quo Hannibal ſepultus eſt.

3. Burſa, *Pruſa*, vrbs Aſiae Minoris maxima et pulcerrima, caſtro communita, Sultanorum olim, nunc Praetoris, et duorum Archiepiſcoporum, Graeci vtpote et Armenii, domicilium, inde Propontidem verſus adſurgit.

4. Scutari, *Chryſopolis*, vrbs magna, et amoena, ad *ſeptentrionem*, iuxta fretum Conſtantinopolitanum, prope quam palatium eſt Imperatoris.

5. Chalcedon, *Chalcedonia*, oppidum vile quidem, ſed Concilio Oecumenico IV. quod anno 451. coactum erat, et titulo Archiepiſcopi Graeci memorandum.

6. Iſmid, *Nicomedia*, vrbs praeſtans, Conſtantini Magni

lauacro, duobus Archiepiscopis, Graio et Armenio, Emerici item Tököly, anno 1705 hic mortui, sepulchro celebrata.

7. Isnich, *Nicaea*, vrbs parua quidem, sed Concilio Oecumenico I. quod anno 325. habitum est, iuxta et, sede Graecorum Imperatorum et Archiepiscopi Graeci titulo clara, in regione, vini prouentu diuite.

8. Artakui, *Artace*, in peninsula sita, quae olim Cyzicus vocabatur, archiepiscopali gaudet dignitate.

9. Samastro, seu *Fanastro*, *Amastris*, vrbs olim, hodie vicus duplici portu insignis, ad Pontum, in dextro latere.

10. Poli, seu *Bolli*, vrbs praestans, thermis, et lacu mirabilis naturae cognita, in mediterranea, ex aduerso, recedit.

11. Sinope, *Sinopa*, vrbs maritima, portibus firmata, quondam Regum Ponti regia, ad dextram.

12. Angeuri, *Angera*, *Ancyra*, vrbs ampla, sede Praetoris et Archiepiscopi Graeci, item Mithridatis et Baiasetis clade memoranda, in medio, *ortum* versus.

13. Ischeclech, *Apamea Cibotus*, Apollinis et Marsyae musico certamine famosa, inter orientem et meridiem.

14. Eskihissar, *Laodicea*, vna ex septem Asiae ecclesiis, nil praeter rudera ostentat, ad laeuam.

15. Croce, *Stauropolis*, oppidum, Archiepiscopi domicilio nobile, in plaga meridionali consedit.

16. Milasso, *Melazzo*, *Miletus* veterum, propter Thaletem Milesium celebris, in vicum degenerauit.

17. Mangresia, *Manissa*, *Magnesia*, oppidum frequens, Scipionis victoria, et Antiochi clade memorandum.

18. Efeso, *Ephesus*, Aja-Soluk, vrbs olim episcopatu Ioannis Euangelistae, atque Dianae templo, illustris, hodie vicus cum castello, ad laeuam.

19. Ismir,

19. Ismir, *Smirna*, emporium Turciae Asiaticae, portu capaci, et castello confirmatum, in quo Consules nationum Europaearum, commerciis rerum praesunt, et duo Episcopi, Graius scil. et Armenius habitant: peculium est Matris Sultani.

20. Foia, olim *Phocaea*, oppidum tenue, ex ampliſſima Asiae vrbe factum.

21. Bergamo, *Pergamus*, quondam regni Pergameni caput, nunc oppidum, propter corium pergamenum, quod Bibliothecae Eumenis Regis causſa, hic primum inuentum est, et aulaea, queis Attali aula ante omnes ornata erat, nobile.

22. Troja, *Troia*, cum *Ilio* arce, in ruderibus iacet, ad Helleſpontum.

23. Abydos, *Abydus*, castrum Dardanellaram alterum, Sesto Europae obiectum, ad Helleſpontum, eo loco, quo, pons Xerxis stabat.

24. Lampsaco, *Lepsek*, *Lampsacum*, vrbs parua, ob vini praestantiam priscis decantata, iuxta Helleſpontum.

II. AMASIA, hodie PRAEFECTVRA SEBASTIA, *Das Land und Gouvernement Siwas*, in *Septentrione*, Ponto subest. Vbi:

1. Siwas, *Saiwas*, *Sebaste*, *Sebastopolis*, vrbs mediocris, castro et moenibus septa, atque a sede Praetoris, et a mercatu incluta, in mediterraneis.

2. Tocat, *Tocatum*, quod et *Neocaesarea*, vrbs ampla et frequens, palatiis Graeci et Armenii episcopi exculta, sursum adsurgit.

3. Amasan, *Amasia*, vrbs magna, populosa, et prouinciae prima, Straboni Geographo, vitam, Praefecto, sedem dedit, ad Pontum.

4. Lirio, *Themiscyra*, oppidum maritimum, in vetusta Amazonum regione.

5. Ta-

5. Taraboſan, *Trebiſonde*, *Trapezus*, vrbs Ponto proxima, non minus hortis, ac muris circumdata, portu et caſtello munita. quondam erat Imperii Trapezuntici caput, hodie ſedes eſt Graiorum Archiepiſcopi.

III. ALADVLIA, *Aladuli*, quondam *Armeniae Minoris* et *Cappadociae* pars, hodie PRAEFECTVRA MARESIA, *Das Land und Gouvernement Meraſche*, in *ortum* vergit, ad Turcomanniae limites. Cuius:

1. Maraſche, *Maraſia*, *Mares*, oppidum frequens, hoſpitium Beglerbego praebet, in Turcomanniae finibus.

2. Lajazzo, *Iſſus*, *Ajas*, *Aiaſſo*, vrbs mediocris, in regione Caramania, cum portu capaci, in mari Mediterraneo, victoria Alexandri Magni celebratur.

IV. CARAMANIA, *Caraman*, per *Ciliciam*, *Lycaoniam*, *Iſauriam*, *Piſidiam*, *Pamphiliam*, atque *Lyciam* prolata, in *meridiem* ſecedit. Cuius ſunt:

1. Teraſſo, *Tarſo*, *Tarſus*, vrbs, Pauli Apoſtoli patria, et Alaxandri M. atque Friderici Barbaroſſae, in profluente Cydno periculis cognita, verſus mare proſpicit.

2. Cogni, *Konia*, *Iconium*, vrbs magna, regionis eſt caput, Praefecti, et Archiepiſcopi Graeci ſedes, in mediterraneis.

3. Adana, *Sarus*, praefecturae cognominis caput, operibus et arce munita, delectaque Praetoris ſedes.

V. CYPRVS, quae et MACARIA, Inſula Lycaoniae veteris, vndis Mediterranei maris, in plaga meridionali, concluditur, adamante diuerſi coloris, asbeſto, chalcantho, ligno cyprino, ciſto ladanifera, rebusque aliis dives, populoſior ante fuit, quam hodie reperitur, cum vix vltra 80000 incolarum nnmeret.

1. Nicoſia, *Nicoſia*, vbs magna et bene culta, in *medio*

La-

Lapethiae Prouinciae, binum Archiepiscopum atque Praefectum regionis, hospitio excipit.

2. Famagosta, *Fama Augusta*, Salamaniae Prouinciae prima, portu atque turribus, more veterum, confirmata.

3. Paphos, *Paphia*, vrbs laxa et munita, quondam Veneris cultu, nunc mercatu, nobilitata.

4. Larnacha, *Larnica*, emporium, Europaeorum commerciis clarum, aliquantum abest a mari.

VI. RHODVS, *Rhodis*, insula, omnibus bonis adfluens, et colosso soli et Apollini sacro, quem Chares aedificare incepit, Laches perfecerat, atque Ioannitarum ordinis equestris hospitio, olim celebris, eodem mari Mediterraneo circumfunditur, an. 1522 sub potestatem Turcorum redacta. Vbi:

Rhodis, *Rhodus*, munitio valida, triplici muro, aggere, et castro permunito circumsepta, portuque aucta, Turcis atque Iudaeis, intra moenia; Christianis, in vico suburbano, domicilium permittit.

§. VIII.

Georgia, Turcis, *Giürdschistan*, septentrionalis Prouincia, Principatibvs VI. in *Colchidis Iberiae* et *Albaniae* agro distinguitur, Turcis partim, partim Persis obnoxia.

I. MINGRELIAE PRINCIPATVS, ad radices montis Caucasi, vbi quondam *Colchis* stabat, positus, Christiano paret Principi. Pertinent huc:

1. Anogasia, et *Abassia*, regiones duae, quae in *septentrionalem* Mingreliae oram, iuxta Caucasum excurrunt.

2. Savastopoli, *Sebastopolis*, quondam *Dioscurias* cognominata, metropolis est regionis, tenuis tamen, in ora maritima.

3. Fazo,

3. Fazo, *Phasis*, oppidum mediocre in insula cognomine, ex qua Phasianorum genus, et originem traxit, et nomen.

4. Rues, *Ruesia*, castrum, in quo Principes Mingreliae sedent.

II. IMERETIA, *Das Fürstenthum Imirette*, PRINCIPATVS Christianus, inde est, ex quo Turcarum Imperator 40 adolescentulos, totidemque puellas, excellenti forma tributi accipit nomine. Vbi:

1. Imereck, *Imeretia*, oppidum magnum, structurae humilis, Principibus Imeretiae sedem praebet.

2. Cotatis, *Cutais*, quae et *Rione*, vrbs laxa, et frequens, ad Phasim amnem, praesidio Turcico custoditur.

III. GVRIA, PRINCIPATVS Christianus, qui et *Guriel*, haec habet oppida:

1. Guriel, *Guria*, metropolis non inamoena, et sedes Principis, Turcico praesidio munita.

2. Ghiuna, *Guni*, *Gonia*, arx valida ad Pontum Euxinum, Turcico confirmatur praesidio.

3. Alazticke, seu *Akalzice*, similis priori munitio, constante Turcorum praesidio firmatur.

IV. CARDVELIA, *Carduel*, PRINCIPATVS Mahometanus, ad *occasum*, per *Iberiam* patens, Imperio Persico concluditur. Vbi:

1. Tefflis, *Tifflis*, *Tephlis*, vrbium prima, eaque ampla, ad Cyrum amnem, sede Principis et Episcopi ornata.

2. Cipiche, *Cipichia*, vrbs magnitudinis eximiae.

V. GAGVETIA, PRINCIPATVS Mahometanus, *Cacheti* seu *Gangueti*, vocatus, tenuis est, et incultus, in *Albaniae* agro, et potestate Persarum. Ad quem spectat:

1. Zagan,

1. Zagan, *Zagania*, oppidum vile, Principis nihilominus domicilio ornatum, ex quo Zagani seu Zigani Europaeorum, forsitan, adpellantur.

VI. DAGESTANIA, *Dagestan*, PRINCIPATVS, in litore maris Caspii, in potestate Russorum est. Vbi:

1. Tarcku, *Tarka*, munitio, Russico firmata praesidio, ad mare Caspium.

§. IX.

TVRCOMANNIA, veteribus *Armenia Maior* dicta, in *ortum* abit, in duas diuisa REGIONES.

I. TVRCOMANNIA ORIENTALIS, cum Persia coniuncta, a Persis *Iruania*, *Irvan*, adpellata. Eius oppida sunt:

1. Erivan, *Irvan*, *Erouanum*, vrbs admodum munita, in finibus Persiae, quam Turcae, anno 1735 Persis reddere coacti sunt. Armenii perhibent Noam hoc loco primas conseuisse vineas.

2. Eschmiazin, *Ischmiazin*, vicus Eriuano proximus, isque peramplus, in quo, Patriarcha Armeniorum domicilium habet.

3. Karasbag, *Caresbegia*, oppidum mediocris structurae ad dextram.

4. Julpha, seu *Zulpha*, vrbs quondam potens diuesque, anno 1629. solo aequata est a Persis.

5. Nakshivan, *Nakshiuania*, eo loco stare dicitur, in quo arca Noe conquieuit.

II. TVRCOMANNIA OCCIDENTALIS, Natoliam contingit, pars est Armeniae maioris, absoluiturque hodie tribus Praefecturis, quarum vrbes praecipuae hae sunt:

1. Erzerum, *Arziris*, *Simyra*, metropolis totius regionis, magna potensque, et muro castroque duplici communita, sedem Praefecto, Archiepiscopo Armeniorum,

et

et Episcopo Graio praebet, in Natoliae finibus, plaga lignorum egente.

2. Kars, Cars, *Carae* vel *Carse*, vrbs magna, Praefecturae cognominis, quae in sex diuiditur Sangiacatus, caput, et propugnaculis munita, prope fontes Euphratis, ad dextram, in regione fructuosa, sedet.

3. Ararat, *Mons Gordyaeus*, altus, et in longum protractus, in quo Arca Noe conquieuerat, Eremitarum est habitaculum, qui aduenis persuasum eunt, arcam hodieque in excelso vertice montis huius adseruari.

4. Van, *Wan*, *Ibanum*, veterum *Semiramocerta*, a Semiramide condita, vrbs ampla praestansque, ad *lacum* cognominem, mercatui opportuna, Praefecturae in plures ac 10 Sangiacatus diuisae prima est, et Praefecti sedes.

§. X.

DIARBECIRA, *Diarbeck*, per *Assyriae*, *Babyloniae* et *Mesopotamiae* regionem protracta, DITIONIBVS III. absolnitur, quae VII. Praefecturas maiores in se continent, nempe *Schehrezur*, *Bagdad*, *Basra*, *Al Dschesira*, *Diarbekir*, *Mosul*, et Vrfa. Vbi:

I. CVRDISTANIA, *Kiurdistan*, veterum *Assyria*, a monte Curdes denominationem traxit, inrer Turcos et Persas ditionibus suis diuisa.

1. Scherazur, vel *Scherezur*, *Schebersoul*, Curdistaniae olim caput, Praefecturae ex amplius XX Sangiacatibus constanti adpellationem mutuata est.

2. Amadie, *Amadia*, vrbs haud ignobilis, inter montana, cum castello altissimo cliuo impositio.

II. DIARBECIRA PROPRIA, *Diarbeck*, quondam *Mesopotamia* dicta, et Tigri atque Euphrate fluminibus coarctata, in ora iacet superiore.

1. Diarbeck, *Diarbeckir*, *Diarbecira*, veteribus *Amida*, *Ammaea*, item *Constantia* dicta, vrbs perampla,

pla, munitio valida, sede Praefecti Archiepiscopique Iacobitarum, et purpureo corio Cordubensi memoranda, fluuio Tigri adsidet.

2. Ophri, *Orpha*, vel *Oufra*, veteribus *Edessa*, cognominata, vrbs arte et natura egregie munita, caput Praefecturae cognominis, in 7. Sangiacatus diuisae, sedem praebet Praetori, et Episcopo Monophysitarum. Praeterquam quod *Vr* Chaldaeorum esse creditur, Regia Abgari Regis, et obitu Caracallae digna est memorari.

3. Nesbin, *Nisibis*, *Zoba*, oppidum positus amoeni, sepulcrum Elisae vatis conseruat.

4. Mosul, *Mausalium*, vrbs admodum frequens et magna, ex ruderibus Niniue, ad Tigrim flumen adsurrexit, mercatu, Patriarcha Nestoriano atque Ionae sepulcro, cumprimis clara.

III. IRACCIA, *Irack*, *Jerack*, antiquis *Babylonia*, atque *Chaldaea* et *Terra Hevila*, cognominata, ad Euphratis atque Tigris confluentes consedit. In qua:

1. Bagdad, *Bagdet*, *Bagdadum*, vrbs magnitudinis eximiae, Praefecturae 22. Sangiacatuum princeps, ad Tigrim fluuium, non minus a frequentia populi, commerciis rerum, et munitionibus validis, (inter caetera opera 163. turres habet) quam ab Ezechielis vatis, et Aly Mahometani sepulcris, atque Praefecti statione, celebratur. Veterum Babylon compluribus abhinc dittat parasangis.

2. Corna, *Corna*, castellum validum, ad Euphratis et Tigris confluentes, in regione, quam Paradisus quondam ornabat, positum est.

§. XI.

Arabia, in tres Ditiones diuisa, meridiem occupat.

I. ARABIA PETRAEA, *Ammonitarum*, *Moabitarum*,

Midianitarum, *Amalecitarum*, *Edomitarum*, *Ismaelitarum*, et *Nabathaeorum* sedes, Isthmum atque maris Rubri excessum insedit. Oppida in ea pauca occurrunt:

1. Bussëret, *Botzra*, *Bostra*, Arabiae Petraeae, in *Septentrione*, vrbs prima, situs amoeni, iam Palaestinae adserta.

2. Herac, *Arac*, *Ar Rakim*, *Sela*, *Petra*, vrbs magna, et regionis, cui denominationem cessit, metropolis, haud longe abest a mari.

3. Mons *Horeb*, et infra, mons *Sinai*, in quo lex, a Deo tradita fuerat, ad hanc regionem pertinent, in queis hodie complura sacella, diuersae religionis hominum, videri poterunt.

4. Carga, *Agris*, et *Raphael*, munitiones tres validae, praesidio Turcico custodiuntur.

5. Tor, seu *Eltor*, oppidum, portu atque castro munitum, iuxta mare rubrum, eo fere loco, quo Ebraei pelagum, pedestri itinere superarant.

II. ARABIA DESERTA, Diarbecirae subest, in tractu superiore, in V. diuisa Prouincias. In quibus:

1. Anna, *Anna*, *Hena*, ad Euphratem, oppidum frequens, mercatu nobile, et Principatus sui primum, hospitium Praefecto Turcico praebet. Haud procul hinc distabat *Terra Vz*, siue *Ausitis*, Iobi domicilium.

2. Balsora, *Bassora*, vrbs diues, munita, et commerciis florens, prope ostia Euphratis sita, Principatus cognominis caput est.

3. Argia, *Arigia*, Principatus cognominis prima, prope ad Arabiam Petraeam.

4. Chavabeda, *Chauebeda*, in Principatu huius nominis, reliquorum oppidorum praestantissima, in Arabiae Felicis collimitio.

II. ARA-

II. ARABIA FELIX, duplici maris Arabici sinu conclusa, haec praecipua habet oppida.

1. Jamama, *Jamama*, oppidum Principatus cognominis primum, in medio iacet. Jaman, seu Jemen, regnum olim fuit orbis terrarum vetustissimum.

2. Giadila, *Giadila*, locus vilis, propter *Higiazae* Principatum atque balsamum obseruandus, laeuo latere descendit.

3. Almanzirisdin, *Almanzirisdena*, Principatus *Oman* primaria, *austrum* versus, vltra Tropicum Cancri diuergit.

4. Elcatif, *Elcatifum*, emporium et portus, ad sinum Persicum, *ortum* versus, in *Gerrhensi* Principatu, cuius Princeps, in Regum Persiae clientela est.

5. Mascalat, *Mascalatum*, haud procul a sinu Persico remotum, nomen Principatui mutuatur.

6. Sohar, *Sir*, *Sohara*, infra in Principatu Vodanae, seu Omani, ad sinum Armusianum, Portugallorum commerciis, quondam florebat.

7. Mascate, *Muscat*, *Muscatum*, vrbs parua, cum portu capaci, sinui Armuzino, in Principatu *Iemen*, adiacet.

8. Alibidinali, *Alibidinalia*, oppidum, cum Principatu huius nominis, in *austrum* abit.

9. Dolfar, *Dafar*, *Tapharon*, *Dolfarum*, in Hadramutae Principatu, thure abundans, ad mare recedit.

10. Fartach, *Fartachum*, regni cognominis metropolis, gummi fundit.

11. Aden, *Abyan*, *Adane*, vrbs magnis operibus et portu munita, apud mare Arabicum.

12. Mechlaf, *Mocha*, vrbs magna, et diues, Principatus cognominis, prima est.

13. Zibith, *Zibithum*, veterum *Saba*, in *occesum* abit, sedetque iuxta mare Rubrum, in Principatu cognomine.

14. Sanaa, *Sanaa*, vrbium Arabiae, in Tehama Principatu praestantissima, et equis cognita, in dextro latere.

15. Mecca, *Mecca*, *Macoraba*, vrbs frequens, Principatus cognominis prima, cunabulis Mehemetis, anno 570 coeptis, et fano, *Caaba* dicto, famosa, prope ad mare Rubrum.

16. Medina, *Madinah*, *Latrippa*, *Jathrippa*, vrbs magna et praestans, sepulcro Mehemetis, et peregrinationibus sacris, celebratur, vltra, *occidentali* adsurgit latere. Interim vrbs haec, priorque, Zibith item et Dolsar, pertinent ad Arabiam Petraeam.

§. XII.

Soria, *Soristan*, veteribus *Syria* nuncupata, cuius olim partes fuere *Seleucis*, *Commagene*, *Coelesyria*, *Abilene*, et *Phoenicia*, per oram maris Mediterranei prolata, in Provincias seu Praefectvras, *Gouvernement*, III. distinguitur. Earum nomina sunt:

I. ALEPPENSIS PROVINCIA, *Aleppo*, *Haleb*, Vbi:

1. Alexandrete, *Eskienderun*, *Scanderona*, *Alexandria*, vrbs loco insalubri posita, mercatu nihilominus et portu memoranda.

2. Aleppo, *Aleppum*, vrbs eximia, emporio, Praefecti sede, atque Archiepiscopi Graeci, Episcopi item tam Armeniorum, quam Iacobitarum domicilio, clara.

3. Antiochia, *Antiochia*, vrbs, prima Christianorum denominatione, non minus duorum Patriarcharum, Graiorum vtpote, et Monophysitarum, commemoranda.

II. TRIPOLITANA PROVINCIA, seu PRAEFECTVRA, *Das Gouvernement Tarablüs*, in IV. Sangiacatus diuisa. Vbi:

1. Tor-

1. Tortosa, *Orthosia Antaradus*, vrbs olim praeclara, hodie rudus inane.

2. Tripoli di Soria, *Tarablüs*, *Tripolis Syriae*, vrbs, quod vel nomen indicat, tripartita, sede Praefecti, et episcopi Graeci, nec non mercatu celebrata.

III. DAMASCENA PROVINCIA, *Damas.*

1. Sayd, *Sidon*, vrbs, quondam maritimarum maxima, clarissimaque, hodie vicus, quem Graeci incolunt.

2. Damas, *Damascus*, vrbs prima, Beglerbegi Iacobitarumque Episcopi domicilio, et prunis, panno bombycino, atque ferro Damasceno clara.

3. Sur, *Zor*, *Tyrus*, veteri aeuo emporium multo celeberrimum, cum rebus aliis, ita murice tyrio illustre, hodie rudus lacrymabile, cum castello et portu exili.

4. Libani montis accolae *Drusi* vocantur.

5. Jaffa, *Ioppe*, oppidum tenue, et maritimum.

6. Jerusalem, *Hierosolyma*, orientis quondam metropolis, nunc oppidum tenue, solo sepulcro Christi memorandum, in mediterraneis.

7. Libanon, *Libanus*, mons inter Siriam et Palaestinam interiacens, quem Maronitae inhabitant.

§. XIII.

Ostendatur, *vrbium* praecipuarum, in *Turcia Asiatica*, tabula.

1. *Archiepiscopatus* XXXVII. PATRIARCHAE CONSTANTINOPOLITANO subiecti, secundum *Nilum Doxopatrum*. 1. *Caesarea* Cappadociae, cum Episcopatibus VIII. 2. *Ephesus* Asiae, cum Episcopatibus XXXIV. 3. *Ancyra*, Galatiae, cum Episcopatibus VIII. 4. *Cyzicus* Hellesponti, cum Episcopatibus XII. 5. *Sardes* Asiae, cum Episcopatibus XXV. 6. *Nicomedia* Bithyniae, cum Episcopatibus XII.

7. *Nicaea* Bithyniae, cum Episcopatibus VI. 8. *Chalcedon* eiusdem Prouinciae, sine Episcopis. 9. *Side* Pamphiliae, cum Episcopatibus XVI. 10. *Sebastia* Armeniae secundae, cum Episcopatibus VII. 11. *Amasia* Hellenoponti, cum Episcopatibus VII. 12. *Melitene* Armeniae, cum Episcopatibus IX. 13. *Tyana* Cappadociae secundae, cum Episcopatibus III. 14. *Gangra*, Paphlagoniae, cum Episcopatibus III. 15. *Claudianopolis* Honoriadis, cum Episcopatibus V. 16. *Neocaesarea* Ponti Polemoniaci, cum Episcopatibus VII. 17. *Sisinus* Galatiae secundae, cum Episcopatibus VII. 18. *Myra* Lyciae, cum Episcopatibus XXXIII. 19. *Stauropolis* Cariae, cum Episcopatibus XXVI. 20. *Laodicaea*, Phrygiae Pacatianae, cum Episcopatibus XXI. 21. *Synada* Phrygiae Salutaris, cum Episcopatibus XX. 22. *Iconium* Lycaoniae, cum Episcopatibus XV. 23. *Antiochia* Pisidiae, cum Episcopatibus XXI. 24. *Perge*, siue *Syleum* Pamphyliae, cum Episcopatibus XXVII. 25. *Mocsus* Cappadociae, cum Episcopatibus IV. 26. *Trapezus* Lazicae, cum Episcopatibus XV. 27. *Hieropolis* Phrygiae Pacatianae, cum Episcopatibus IX. 28. *Smirna* Asiae, cum Episcopatibus V. 29. *Ammorum* Phrygiae, cum Episcopatibus V. 30. *Camuchus* Armeniae, cum Episcopatibus VIII. 31. *Cotyaium* Phrygiae, cum Episcopatibus XIII. 32. *Amastris* Ponti. 33. *Chonae* Phrygiae. 34. *Pompeiopolis*. 35. *Attalia*, a Syleo aulsa. 36. *Paranoxia*, a Rhodo aulsa. 37. *Abydus*, a Cyzico aulsus.

2. *Archiepiscopatus* XXXIV. sub Patriarcha Antiocheno: 1. *Tyrus*, cum Episcopatibus XIII. 2. *Thasus*, cum Episcopatibus VI. 3. *Edessa*, cum Episcopatibus XI. 4. *Apamea*, cum Episcopatibus VII. 5. *Hierapolis*, cum Episcopatibus XI. 6. *Bostrum*, cum Episcopatibus XX. 7. *Anazarbus*, cum Episcopatibus IX. 8. *Seleucia*, cum Episcopatibus XXIV. 9. *Damascus*, cum Episcopatibus XI. 10.

Ami-

Amida, cum Episcopatibus VIII. 11. *Hagiapolis*, cum Episcopatibus V. 12. *Daras*, cum Episcopatibus X. 13. *Emesa*, cum Episcopatibus IV. Sequuntur Archiepiscopatus, qui nullos sub se Episcopatus habent: 14. *Berytus*. 15. *Hesicupolis*. 16. *Laodicaea*. 17. *Samosatum*. 18. *Martyropolis*. 19. *Mopsvesta*. 20. *Adana*. 21. *Pompeiulis*, 22. *Berroea*. 23. *Chalcedon*. 24. *Agabella*. 25. *Seleucia* Pieriae. 26. *Anasartha*, seu Theodorupolis. 27. *Palton*. 28. *Gabula*. 29. *Balaama*. 30. *Salamia*. 31. *Bercum*. 32. *Rhason*. 33. *Agates*. 34. *Barcusi*.

3. *Archiepiscopatus* XXIX. Patriarchae Hierosolymitano subiecti, ex eodem Nilo Doxopatrio: 1. *Caesarea* Palaestinae. 2. *Scythopolis*, seu Basan. 3. *Petra*. 4. *Bostra*, siue Arabia. 5. *Diospolis*, seu Gergiupolis. 6. *Ascalon*. 7. *Joppe*. 8. *Gaza*. 9. *Anthedon*. 10. *Diocletianupolis*. 11. *Eleutheropolis*. 12. *Neapolis*. 13. *Sebastenè*. 14. *Jordanes*. 15. *Tiberias*. 16. *Diocaesarea*. 17. *Maximianupolis*. 18. *Capetolias*. 19. *Myrum*. 20. *Gadarum*. 21. *Nazaret*. 22. *Thabor mons*. 23. *Cyriacupolis*. 24. *Adria*. 25. *Gabala*. 26. *Aelia*. 27. *Pharae*. 28. *Helenupolis*. 29. *Mons Sina*.

4. *Metropoles*: *Natoliae*, Scuttari, Isnich, Bursia; *Cypri*, Famogosta; *Rhodi*, Rhodus; *Georgiae*, Savastopoli, Guriel, Imerette; *Turcomanniae*, Ertzerum, Erivan; *Diarbecirae*, Diarbeckir, Bagdad; *Arabiae*, Herac, Balsora, Mecca, Medina; *Soriae*, Aleppo, Tripoli di Soria, Damasco, Jerusalem.

5. *Portus*: ad *Pontum*, Chiuna in Georgia, Trepizonde, Samastro; ad *Archipelagum*, Foja, Ismir, Epheso, Rhodis; in mari *Mediterraneo*, Famogosta, Alexandrette, Sayd, Accon, Jaffa, Gaza; El-Tor, Giodda, apud mare *Erythraeum*; Aden, ad mare *Arabicum*; Dolfar, Mascate, ad mare *Persicum*; Balsora, ad *Euphratis* ostia.

§. XIV.

Quod, ad *naturalem* Turciae Asiaticae *statum*, attinet:

1. Regio, ampla vastaque, quamuis *amoeni* salubrisque sit *positus*: *diuersam* tamen habet, pro regionum situ, cum coeli *clementiam*, tum soli foecunditatem. *Natolia*, eiusdem est, cum Romania atque Graecia, climatis. *Georgia*, inter pelagus, claustris montium conclusa, abrupta est, et saltuosa. *Turcomannia*, inter montium anfractus immissa, cum coeli, tum soli positum, habet asperum. *Diarbecira*, situs iucundi, cum coelo benigno gaudet, tum agro foecundo. *Arabia*, solis ardori exposita, felicem equidem habet agrum; sed qui non solum petris et sabulo impeditus est, verum, propter amnium atque imbrium defectum, siticulosus etiam, atque sterilis. Ceterum, qua mare Erythreum spectat, laetus est et benignus. *Soria*, propter miram coeli temperiem, prouincias reliquas, cum vbertate agri, tum loci amoenitate, facile antecedit. De caetero, nonnullae Asiae Turcicae prouinciae, alicubi vsque adeo steriles ad caetera, vt, qui habitant, lignorum egentes, ignes fimo alant.

2. Rerum *omnium*, quae ad commoditatem vitae pertinent, *copia* est in Turcia opulenta: quam tamen, et colonorum *ignauia*, et *pestilentia*, et *bella* varia, inanem faciunt. *Natolia*, frumento, vino, atque pecore abundat: *Georgia*, partim frumentum et vinum, partim pecus atque metallum profert. *Turcomannia*, apibus, bombycibus, et equis generosis, adfluit. *Diarbecira*, rerum omnium, quas tellus profert, proventum habet vberrimum. *Arabia*, thuris, aromatum, balsami, odorum, auri, quod est praestantissimum, vnionum equorumque, dines est.

3. Incolarum, qui ex diuersis coaluerunt nationibus, (numerus horum aetate nostra longe minor deprehenditur, quam veteri erat) ingenium est varium. *Turcae*, magno fortique praediti animo, gloriae sunt cupidi domi-

dominationisque. *Graeci*, per Natoliam diuisi, inculti torpescunt atque socordia. *Georgiani*, quibus Persae atque Tartari intermiscentur, in nobiles atque ignobiles distincti, inculti sunt et crudeles. *Turcomannorum* plerique latrociniis dediti. *Armenii*, quorum industria, per negotiationem cognita est, ex Turcomannia, in omnes propemodum Turciae prouincias, emigrant. *Diarbecirae*, incolae sunt: Turcae, Arabes, Iudaei, et Armenii. *Arabes*, ex Ismaelitarum seu Saracenorum orti genere, fusci sunt et graciles, iique callidi ac superstitiosi. Quorum ii, qui oppida incolunt, Mauri seu *Hadesi*; qui sub tabernaculis degunt, *Bedeui*, *Scenitae*, et *Nomades*; qui vero rei agrariae operantur, *Fellah*, cognominantur. *Iudaei*, ex Palaestina, per Soriam, vicinasque prouincias prorogati, a cultu prisco, in turpem desciuerunt barbariem. Europaei in Turcia coloni *Franci* adpellari ab indigenis solent.

4. Sermo, in Turcia Asiatica, varius est. Principalia eius sunt genera: *Turcicus*, *Arabicus*, *Graecus*, *Ebraeus*, *Armenus*, *Georgianus*, et inter negotiatores Europaeos, *Gallicus*, atque *Anglicus*, etc.

5. Occupantur *Turcae*, militia, negotiatione, et artificiis; *Arabes*, re pecuaria; *Armenii*, *Iudaei*, et *Graeci*, rerum commerciis; *Incolae* reliqui, rusticatione et pascendis ouibus camelisque. Illorum itaque *arte* elaborantur: aulaea Babylonica, peristromata, linum byssinum, xilinum, et bombycinum, corium Cordubense et Carmesinum, ferrum item Damascenum, etc.

§. XV.

Quoad *ciuilem*, Turciae Asiaticae, *statum*.

1. Regimen, in Turcia Asiatica, eiusque Prouinciis, est *despoticum*. In qua, *Georgiae* et *Arabiae* Principes, partim *Turcorum*, partim *Persarum* Imperatoribus, clientelae subsunt nomine.

2. Administratur illud, Turcorum *Imperatoris* potestate,

per *Praetores* atque *Praefectos* prouinciarum. Inter quos, *Natoliae Babyloniae* et *Damasci* Praetores, maxime sunt illustres.

3. Reditus *publici*, eadem in *Asiatica*, quae in Turcia *Europaea*, est ratio. Ad quem, non leuis, ex *custodia sepulchri Christi*, in vrbe Hierosolymitana, proventus accedere videtur.

4. Religionis, in Asiatica et Europaea Turcia, suppar est status: *Mahometanam*, secundum Omari doctrinam, Turcae atque Arabes, propagant, vocanturque *Sonnitae*, a Sonna codice traditionum Mahomedis, cui fidem habent. *Iudaicae*, soli Iudaei adhaerent, in Karaeos, qui Talmudis fabellas reiiciunt, et Rabbanitas, qui eas amplectuntur, diuisi. *Christiana* multiplex est. 1. *Graeca*, ad quam et *Melchitae* pertinent, prouidentia trium patriarcharum, quorum Constantinopolitanus princeps est, administratur. 2. *Nestoriana*, quae duas in Christo personas statuit, quorum tamen Patriarcha, cum 5. Episcopis, Romano se Pontifici an. 1771. subiecit. 3. *Monophysitarum*, seu *Jacobitarum*, partim ab Iacobo Baradaeo, partim, quod vnam tantum in Christo naturam adferere videntur, sic dicta. His *Maronitas*, quorum Patriarcha, in monasterio Cannoben montis Libani habitans, Petri semper gerit nomen, vti Nestorianus Eliae, adnumeraveris. 4. *Armeniorum*, media inter Monophysitarum et Graiorum a 4. regitur Patriarchis. 5. *Romano-Catholica* et Protestantium.

5. Litterarum et sapientiae studia, soli *Arabes*, tractant, *Philosophiae*, *Astronomiae*, et *Medicinae*, cumprimis dediti, *Graeci* optimam Musarum sedem habent in insula Patmos: nonnulli Paduam medicinae caussa se conferre solent. Reliqui *Incolae*, praeter leuidensem rerum diuinarum, rituumque sacrorum, notitiam, nihil amplius scire cupiunt.

6. Insigne *Regni Hierosolymitani*, quod aetate media, a Christianis instauratum fuerat, *crux aurea* maior episcopalis,

palis, cum *quatuor minoribus*, superne atque inferne, recto disposítis ordine, in *campo argenteo* repraesentat, illudque augusta gens *Lotharingica*, vsurpat hodie.

7. Imperat in Asiatica, qui in Turcia Europaea, ABDVLHAMET, seu ACHMET IV. anno 1725. natus, anno 1774. d. 21. Jan. ad imperium promotus.

SECTIO III.

DE

PERSIA.

§. I.

PERSIA, *Iruun*, incolis cognominata, in *septentrionibus*, mari Caspio et Oxo amne, a Tartaria secluditur. Quam, in *ortu*, Indostania; in *meridie*, mare Persicum, sinu cognomine claudit; in *occasu* termini sunt Georgia, Turcomannia et Diarbecira. Longa ea est milliaria circiter 300; lata 200. alii magnitudinem eius 50000 milliaribus quadratis definiunt.

§. II.

Pelagus, regionem duplici adluit latere.

1. Mare Caspium, seu *Hyrcanum*, *Kulsum*, et *Mar di Sala*, dictum, supra est ad aquilonem.

2. Mare Persicum, seu *Arabicum*, infra est, per austrum profusum, ex quo:

3. Sinus Armuzianus, *Golfo di Ormus*, et vltra,

4. Sinus Persicus, *Golfo di Basora*, seu *di Elcatif*, in mediterranea immittuntur.

§. IV.

Flumina maiora quatuor, fines regionis adluunt.

1. Il-

1. Ilment, *Ilmetus*, *Artabius*, indigena fluuius, mari mergitur.

2. Oxus, *Gihun*, *Kurhan*, Caſpio mari infunditur.

3. Indus, in finibus *Indiae*, in mare exit Indicum.

§. IV.

Diuiditur, aetate noſtra, in PROVINCIAS varias, quarum notiores ſunt:

I. IRACA PROVINCIA, *Erak*, *Irac-Agemi*, olim *Parthia*, Prouincia mediterranea, omnium populoſiſſima fertiliſſimaque, in *medio*, ad quam referuntur:

1. Sultan, *Sultania*, vrbs olim, atque hodie numeroſior, tametſi adhuc ad 60000 incolarum numeret.

2. Casbin, *Casbinium*, vrbs magna, et quondam ſede Regum, multisque palatiis incluta, ad dextram.

3. Com, *Comum*, oppidum, vaſis fictilibus, enſiumque laminis, quae heic parantur, celebre, infra eſt.

4. Hiſpahan, *Iſpahan*, *Aſpahanum*, olim *Hecatonpylos*, quod centum portas habebat, dicta, vrbs eſt omnium cis Gangem maxima (vltra millionem incolarum numerare perhibetur) ſede imperatoria, et emporio celebrata.

5. Jesd, *Iesdum*, oppidum tapetibus et periſtromatibus Babylonicis, non minus forma ſexus muliebris, tota Perſide venuſtiſſima, clarum.

II. SERVANIA PROVINCIA, *Schirwan*, *Sirvân*, olim *Albania*, ad *ſeptentrionem*, in occidentali maris Caſpii litore iacet. Vbi:

1. Derbent, *Derbentium*, olim *Alexandria Albaniae*, emporium, caſtro, portuque communitum, in anguſtiis, ad portas Caſpias, ſeu Ferreas, telonio dives.

2.

2. Schamachia, *Samachia*, vrbs magna, et munita, infra est, terrae motu, et incendiis multum adflicta.

3. Backu, *Baca*, *Albana*, vrbs antiqua, munita, et portu, negotiatione, naphtaeque prouentu insignis, ad mare vergit.

III. ADIRBEISANIA PROVINCIA, *Adyrbeizan*, infra est, vbi quondam Media stetit. Cuius,

1. Tauris, *Tabris*, *Tabrisium*, vrbs mirae magnitudinis, in Ecbatanae ruderibus posita, prima fuit Regum Persiae sedes.

2. Ardibil, *Ardebilium*, *Arbela*, Sophi primi, cuius posteritas diu in Perside regnabat, solo natali atque sepulcro, et bibliotheca celebri, memorandum.

3. Tabristan, *Tabristania*, oppidum magnum & frequens, in regione cognomine, quae tamen pars est *Chiloniae*.

IV. CHILANIA PROVINCIA, *Kilan*, *Gilan*, iuxta mare, pecore, feris et serico diues, in locum *Hyrcaniae* successit, cum oppidis. Vbi:

1. Recht, *Resht*, oppidum haud procul a mari, pacificatione inprimis Russica an. 1729 et 1732 cognitum.

2. Ferhabad, *Ferhabadum*, vrbs magnitudinis eximiae, a Mahometanis et Christianis inhabitatur, palatio Regis Schach Abasi, qui heic suam habebat Regiam, memorabilis.

V. CORASANIA PROVINCIA, *Chorasan*, in *Bactriania* et *Margiana* regione. Hanc olim tribus Israeliticae, ab Salmanassare in captiuitatem abductae, coluisse memorantur.

1. Merwa, *Marou*, vrbs magna, lacui adposita.

2.

2. Balch, *Balcha*, vrbs, regionis cognominis prima.

3. Herat, *Heratum*, vrbs ampla et frequens, in Provincia Heraria, a praestantia omnium in Persida pretiosissimorum tapetum laudanda.

4. Nisabur, *Nischabur*, vrbs est equaria, et officinis laminarum ensium praestans.

5. Mesed, *Meschet, Thous*, vrbs non exilis, Sanctorum Virorum sepulcris celebrata, mira populi superstitione colitur.

VI. SABLESTANIA PROVINCIA, *Sablustan*, montibus circumsepta, incolarum pauper, ortum prospectat. Vbi:

1. Vaihend, *Scanderia*, vrbs non ignobilis.

2. Bost, *Bostum*, munitio est cunctarum in Persia validissima.

VII. CANDAHARIA PROVINCIA, *Candahar*, extrema in finibus Indiae Provincia. Vbi:

1. Candahar, *Candaharia*, vrbs admirandae magnitudinis, sicut aliis operibus, ita duobus castellis, ad artis normam munita, et emporio dicata.

2. Ispasadin, *Ispasadina*, vrbs in finibus regni, colli imposita.

VIII. SEGESTANIA PROVINCIA, *Sestistan*, quondam *Drangiana*, locis desertis montiumque iugis tristis. In qua:

1. Sagistan, *Segistania*, *Zaring*, vrbs est primaria.

2. Robin, *Kobin*, oppidum, speculis ex chalybe fabricatis clarum.

IX.

IX. MACRANIA PROVINCIA, *Macran*, seu *Mackheran*, olim *Gerdosia* dicta, in austrum vergit. In qua:

1. Mackran, *Macrania*, Provinciae caput, vrbs mediocris magnitudinis.

2. Almansour, emporium est, nardi cumprimis et myrrhae negotiatione celebre.

3. Titz seu *Taitz*, vrbs haud procul a mari sita.

X. CARAMANIA PROVINCIA, *Kerman*, *Kyrmann*, paganorum, qui solem adorant, atque latronum receptaculum. Ad quam pertinent:

1. Tuberan, *Tuberanum*, oppidum, tractus cognominis primum.

2. Kyrmann, *Cerman*, *Carmania*, quae et *Sirian*, metropolis ac emporium, campis oryzaeferis caeteras antecit.

3. Gamron, *Kamron*, *Gamronum*, emporium cum portu, sinui Persico adiectum.

XI. INSVLAE, in sinu Persico iacentes, duae sunt:

1. Ormus, *Armuzium*, *Armusia* insula, regni titulo cognita, salis sulphurisque abundans, caetera sterilis, cum oppido huius nominis, in quo emporium olim erat ditissimum, Portugallis ereptum.

2. Bahr, *Bahrein*, *Baharem*, insula, sale et vnionibus diues.

XII. FARSISTANIA PROVINCIA, *Farsistan*, persis propria, solo laeta, et vini optimi, lapidisque Bezoar ferax. Vbi:

1. Bander Congo, *portus capax*, in sinu Persico.

2. Schiras, *Schirasium*, vrbs magna, ambitu suo 5 milliaria complexa, & elegans, ex Persepoleos ruderibus excitata, atque collegio sapientiae illustris.

XIII. SVSISTANIA PROVINCIA, *Chusistan*, *Susiana*, *occasum* versus, ad Euphratis ostia propagatur, equorum generosissimorum, camelorumque foecunda altrix, veterum *Elymais*. In qua:

1. Sus, *Suster*, *Susa*, metropolis, Ahasueri Regis quondam regia, loco frumenti feracissimo sita.

2. Achwaz, *Achuasia*, oppidum non ignobile, infra.

XIV. LAVRESTANIA PROVINCIA, *Laurestan*, in Diarbecirae collimitio. Vbi:

Holvan, *Holuanum*, oppidum, haud adeo clarum.

§. V.

Adnectatur, *vrbium* praecipuarum, tabula:

1. *Patriarchatus* Christianorum, in Persia, duo sunt: prior *Nestorianorum* Ormiensis: alter *Armeniorum*, in Seruania Prouincia. Illius Praesul semper nomine Simeonis gaudet.

2. *Metropoles*, in Imperio Persico: Casbin, Hispahan, Abbas-Abad, *palatium*.

3. *Portus* praecipui: Gamron, Ormus, Bander Congo, in mari *Persico*.

4. *Academiae*, in vrbe Schiras, Ardebil, Tauris, cet.

§. VI.

§. VI.

Quod, ad *naturalem* Persiae *statum*, adtinet:

1. Regio, (sub gradu 25 lineae meridionalis sita) in qua coeli temperies *salubris*, et mira, cum aestatis, tum hyemis *clementia*, omnium rerum est *ferax*. Praeterquam enim, quod *agrorum* vbertate, foecundissimas regiones, adaequat facile: inhabitatores etiam suos, rebus natura et arte abunde productis, ditat liberaliter.

2. Profert namque regio fertilis, ex *vegetabilibus*, frumentum, oryzam, milium, legumina, fabas, vinum, poma citrea, aurantia, persica, pruna, pepones mirae magnitudinis (30. 40. et 50. pondo saepe vnus superat) amygdala, ficus, aliaque acrodrya, oleas, gossypium, myrrham, nardum, herbam nicotianam; ex *animantibus*, pecus, equos, feras, leones, pantheras, tigrides, camelos, apes, bombyces; ex iisque mel, ceram, sericum; ex *fossilibus*, metalla, mineralia, vniones, adamantes, iaspidem aerizusam, lapidem bezoardicum. Ars vero effingit, vestes sericeas, tapetes, peristromata, aulaea Babylonica.

3. Incolae, qui ex *Persis*, *Armeniis*, *Arabibus*, atque *Tartaris*, in vnam sociantur gentem, *felici* atque *profundo*, sed ad *simulandum* et *dissimulandum* prono, praediti *ingenio*, ad *scientiarum*, artium, bellique studia, magis, quam ad *negotiationem*, propendent, et *polygamiam* in societate obseruant nuptiali. Ante caeteros Asiae incolas humaniores.

4. Sermonis genus quadruplex apud Persas in vsu est: *Arabicum*, inter eruditos; *Turcicum*, inter aulicos; *Persicum*, quod cum Scythico et Germanico, quandam videtur habere cognationem, inter cives atque plebeios homines; et *Gauricum*, populi ritus, et linguae peculiaris.

§. VII.

Quoad statum *ciuilem*, Regno Persarum proprium:

1. Regimen Persarum, *regium* omnino est, idque, ad leges *prudentiae* et *humanitatis* exactum. Reges namque eorum *Sophi* (Schach, Chan, Sultan et Padischa, sunt honoris vocabula) adpellati, imperium, quod cum haereditate accipiunt, summa *auctoritate* administrant, incredibili, in *fratres*, atque *subditos clementia* propensi.

2. Ordinum regni vicem, *maioris* atque *minoris* nominis Administri supplent. Inter quos, primum occupant locum: *Sadré Cassa*, Summus sacrorum Antistes, proximus a Rege; *Etmadaulet*, Cancellarius regni, qui et Prorex; *Kortchi Bacha*, Summus exercitus Dux, et consilii bellici Praeses; *Koler Agasi*, Praefectus Praetorio; *Toptchi Bacha*, Praefectus armorum; *Divan Begui*, Summus regni Praetor, Iudexque; *Meheurdar*, Custos Sigilli regii; *Hackim Bacha*, Archiater, vt iam caeteros praeteream.

3. Reditus publici, qui ex *vectigalibus*, decimis fructuum, *metallis*, tabernis, et *bonis* subditorum, in aerarium Regis, influunt quotannis, triginta milliones fl. superare creduntur. Quorum magnitudine inductus Tammas Sophi, peregrinantium tributum abrogauit.

4. Vires Persarum, vsque eo, aetate nostra succreuerunt; vt iam Turcorum potentatui, obsistere queant. Coguntur eae ex militibus *stipendiariis*, qui peditatu; militibus *prouincialibus*, *Tuffenis* dictis, qui equitatu, praeualent, pacis tempore ad 90000 aluntur, belli facile ad 700000. conduci poterunt.

5. Religio *Mahometana*, quam Persae, secundum *Aly* sententiam amplexi sunt, ab *Omari*, quam Turcae obseruant, secta, in quibusdam positionibus discrepat. Summus in ea Sacrorum Antistes, *Serdra* dicitur: qui, primo post Regem loco considet. Mahometanis

inter-

intermixti sunt, *Iudaei*, et praeterea, *Melchitae*, *Nestoriani*, *Armenique Christiani*, atque *Pagani*, quos vulgus *Gauros* vocat, solis cultu notati.

6. Litterae, industria summa, cumprimis *Schirasii*, in Academia regia coluntur. Sunt namque Persae, ad *litterarum studia* procliues, et propterea, in *Philosophia*, *Medicina*, *Mathesi*, *Astrologia*, *Prudentia ciuili*, *Eloquentia* atque *Poetica*, mirum in modum excellentes.

7. Nummi *argentei*, pariter atque *cuprei*, item aurei, qui *Scherafi*, vel atiam *Kerasin* vocantur, apud Persas in vsu sunt. Quorum loco, plerumque *aurum*, vel *argentum* rude, in commerciis rerum adhibetur.

8. Insignis nomine, pingitur a Rege Persarum *leo humi cubans*, solem respiciens orientem.

9. Regnat hodie, post obitum *Adil Schach*, *Kerim Kan*.

SECTIO IV.

DE

INDIA ORIENTALI,

Speciatim de

INDOSTANIA.

§. I.

INDIA, quam hodie ORIENTALEM, *Ostindien*, quo ab *occidentali*, *Westindien*, America vtpote distinguatur, vocamus, a Tartaria in *meridiem* flexa, incipit. Quae, seruato antiquo cognomine, iisdem, quibus antiquitus, circumscribitur limitibus.

§. II.

Contingit namque, ab *aquilone*, Tartariam; ab *ortu*, Chinam; Oceano Indico, ad *austrum*; Persiae imperio, ad *occasum* terminata. Longitudinem eius 600 milliaria, latitudinem 500 continere aiunt.

§. III.

Pro regionis, quam occupauit, positu, dispescitur bisariam: in INDIAM AQVILONAREM, seu INDOSTANIAM; et INDIAM MERIDIONALEM, Gange tamen flumine, in CITERIOREM atque VLTERIOREM, scissam. Veteri aeuo *India intra* et *extra Gangem* vocabatur.

§. IV.

INDIA AQVILONARIS, seu INDOSTANIA, a regimine, cui est obnoxia, IMPERIVM MAGNI MOGOLIS, cognominata, *septentrionalem* Indiae oram obsedit, longa 300, lata totidem milliarium.

§. V.

Definitur ea, communibus Indiae terminis, vtpote, Tartaria Magna, ad *septentrionem*; China ad *ortum*; quam India Meridionalis, in *meridie*; Persia, in *occasu*, terminant.

§. VI.

Iunguntur inter se montes tres, quos nonnulli Caucasi partes esse existimant.

1. Imaus, *Dalanguer* incolis dictus, Indiam a Tartaria, in septentrionibus disterminat, effunditque Indum et Gangem flumina.

2. Emodus, et *Paropamissus*, montes duo, in eadem plaga.

3. A montibus his, regio tota, vsque ad Oceanum decurrit, in planitiem immensam.

§. VII.

§. VII.

Amnium, mira est, in regione ampla, vastitas. Quorum maiores:

1. Indus, *Hynd*, seu *Sind*, in Imao Tartariae, ex quinque natus amnibus, acceptis 20 aliis fluuiis, latus plerisque in locis vno milliari, latere occidentali profluit, geminoque ostio (alii septem ponunt) apud Diul, in mare Persicum, prouoluitur.

2. Ganges, *Ganga*, omnium in Asia fluuiorum maximus, in eodem Tartariae monte ortus, latere orientali, properat in sinum Bengalensem.

§. VIII.

Diuiditur aetate nostra, in XXXV. DITIONES (regna plerique omnes nominant), quarum septem, in *medio* iacent; totidem per *septentrionem* procurrunt; octo in *ortum* spectant; septem diuergunt in *meridiem*; sex respiciunt in *occasum*.

§. IX.

DITIONES VII. in Regionis *meditullio* iacent, hoc ordine:

I. PENGABENSIS DITIO, *Pengab*, in tractu est *supero*, in qua celebratur

Lahor, *Lahora*, vrbs ampla, cuius vtpote ambitus sex milliaria continet, arce splendida, sede Mogolis vetere, ornata, mercatu illustris, quondam a bucephalo, Alexandri M. equo, isthic sepulto, Bucephalia cognominabatur.

II. IAMBENSIS DITIO, *Jamba*, iuxta est, ad dextram, in eaque, inter reliqua oppida:

Iamba, *Jamba*, oppidum, ditionis cognominis primum, idque eximium.

III. BACARENSIS DITIO, *Bacara*, ad dextram recedit. Vbi, cum ceteris oppidis.

Bacaner, *Bacaneria*, emporium, et sedes Gubernatoris praecipua.

IV. SAMBALENSIS DITIO, *Sambal*, infra, in *medio*. Cuius ditioni adsentitur.

Sambal, *Sambalia*, vrbs primaria, haud procul a Gange.

V. AGRENSIS DITIO, *Agra*, situ inferiore iacet, in qua:

Agra, *Agra*, metropolis est regia, duodecim milliaria in circumferentia laxa, sedes est Imperatoris hiberna, thesauri autem regii, pretii incomparabilis, perpetua; ex quo tamen, Kouli-Kan Persarum Imperator, bello anni 1738. res optimas in Persiam transtulit. Caeterum vrbs haec, magnificentissimo Mogolis palatio ornata, facile 200000 militum in aciem producere potest.

VI. DELLIACVM REGNVM, *Dehly*, inde ad laeuam abit. In cuius tractu iacent:

1. Jehannebat, *Gehannabar*, regia altera, aestiua, bene munita, priore quidem inferior, propter aeris clementiam salubrior tamen.

2. Dehly, *Delli*, vrbs magna, et, ante Jehannebat condita, aeuo antiquiore, Imperatorum regia.

VII. IENVPARENSIS DITIO, *Jenupar*, quae et *Gengabar*, eodem latere adsurgit.

Jenupar, *Ienuparia*, oppidum, tractus cognominis primum, illic est, propter Sitmagum fluuium,

§. X.

§. X.

DITIONES VII. per oram *aquilonarem* proferuntur, hoc ſicuti ſequuntur ordine:

I. BANCKISIENSIS DITIO, *Banckis*, ad laeuam, in regione ſupera. In qua:

Banck, *Balck*, oppidum, in limite Perſico extremum.

II. CACHIMIRIENSIS DITIO, *Cachimir*, eodem loci poſitu ſita, in tabulis Geographicis non proſtat.

III. CABVLENSIS DITIO, *Cabul*, infra eſt, habetque

Cabul, *Cabulum*, oppidum, huius nominis illuſtre, ditionis tamen, cum vniuerſa regione, inde ab anno 1740. Perſicae.

IV. NAVGRACVTENSIS DITIO, *Naugracut*, dextram verſus iacet, apud fluuium Rauatam.

Naugracut, *Nagarcut*, vrbs amoena, in qua peregrinatores, linguae particulam idolo *Matta* offerre ſolent.

V. ATTOCKENSIS DITIO, *Attock*, priorem poſitu et fertilitate agrorum ſuperat, in eodem tractu.

Attock, *Attocum*, vrbs venuſta, ditionis prima, in quam Imperator, animi cauſſa, diuertere ſolet.

VI. KAKARENSIS DITIO, *Kakares*, inde ſequitur, quam tabulae Geographicae praeterierunt.

VII. SIBAENSIS DITIO, *Siba*, extrema in *aquilonari* angulo, ad dextram conſedit.

§. XI.

Ditiones VIII. ad *ortum* spectant, sequente numero:

I. PITANENSIS DITIO, *Pitan*, trans Gangem semet expandit, notari digna est:

Pitan, *Pitania*, vrbs ditionis suae primaria, prope ad laeuam, quam Godetus alluit.

II. GORENSIS DITIO, *Gor*, dextram versus diuergit. Vbi:

Gor, *Gora*, vrbs praestans, palatio Imperatoris, quo identidem diuertit, caeteris memorabilior.

III. CANDVANENSIS DITIO, *Kanduana*, priori subest.

Kanduana, *Canduana*, in eius ditione est, vrbs pulcra.

IV. PATNAENSIS DITIO, *Patna*, introrsum recedit. Cuius agrum mirifice ornat.

Patna, *Patna*, vrbs ditionis suae prima et permagna, populique frequentia notanda.

V. VDESSANA DITIO, *Vdessa*, inferius descendit. Vbi

Jekanack, *Jekenackia*, vrbs amoena, arce ornata.

VI. IESVALANA DITIO, *Jesual*, non est relata in tabulas Geographicas, in qua *Raiapore* vrbs est.

VII. MEVANA DITIO, *Meua*, inde profertur, positu inferiore.

VIII.

VIII. NARVARENSIS DITIO, *Narwar*, reliquas excipit, cum oppido cognomine, loco imo, in ora ortiua.

§. XII.

DITIONES VII. in regionem *australem* diuergunt.

I. BENGALAE REGNVM, *Bengala*, seu *Jaganat*, finui cognomini, et Ganges ostiis, in agro fructuoso adsidet, tropico Cancri subiecta. Florent hic:

1. Satigan, et *Chatigan*, emporia duo insignia.

2. Daca, vrbs praecipua, rerum commerciis, et aeris salubritate celebrata, secundo Gange, vnius milliaris longitudine posita; cuius in vicinia *Bengala* ponitur a plerisque.

II. MALVAENSIS DITIO: *Malvay*, smaragdo diues, ad laeuam abit. In qua:

Rantibor, *Rantiboria*, vrbium primaria, circulo tropico subest, in regione quodammodo temperata, cum arce.

III. BARARIENSIS DITIO, *Beror*, infra tropicum est. Vbi cum ceteris oppidis:

Chapor, *Chaporia*, vrbs, tractus huius maxime cognita, in agro laeto amoenoque.

IV. CANDISIENSIS DITIO, *Candis*, auri, lapidum pretiosorum atque pecoris, diues.

1. Doltabad, *Doltabasd*, *Doltabadum*, vrbs admodum magna, in agro fertili apertoque.

2. Brambor, *Bramborum*, ditionis primum, ad laeuam.

V. CHITORENSIS DITIO, *Chitor*, situ superiore, ad sinistram iacet. In cuius tractu sita est:

Chitor, *Chitoria*, regia quondam Pori, Regis Indiae praepotentis, Alexandro M. inimici.

VI. GVSARATAE REGNVM, *Guzarat*, mercatu atque vrbibus insigne, in peninsula, iuxta ostia confedit. Vbi:

1. Surate, *Suratta*, vrbs maritima, commerciis Europaeorum clara, in littore orientali, in qua, Praetor mercatorum, ex gente Anglicana, domicilium suum habet. Portus *Savoli* plus vno abhinc distat milliari.

2. Cambaia, *Camboia*, vrbs peramoena, emporio et portu Indiae optimo, ad sinum cognominem, celebratissima.

3. Goga, *Goga*, vicus est in peninsula, mercatu Portugallorum illustris.

4. Diu, *Dio*, *Dium*, vrbs portu et munitionibus firmata, cis Indi ostia, in insula, Portugallis obsequitur.

VII. RAHIENSIS DITIO, *Rahaia*, ad dextram est, in eaque, cum eximiis oppidis:

Armedabat, *Armadabat*, *Armedabatum*, vrbs frequens, arce valida, et mercatu atque gossypio nobilis.

§. XIII.

DITIONES VI. ad *occasum* sedent, in finibus Persiae.

I. TATTENSIS DITIO, *Tatta*, prope ad ostia Indi. Vbi:

1. Tat-

Tatta, *Tatta*, oppidum praecipuum, cis Indum flumen, rerum atque ciuium praestantia nobile.

II. JESSELMERE, seu HASMAR DITIO, inde adsurgit. Cuius est, praeter *Pislemer*, metropolim:

Radimpor, *Radimporia*, ciuitas mercatu insignis, trans Indum, prope ad fines Persiae.

III. BANDO DITIO, ab Indo recedit in mediterranea, dextram versus. In cuius agro:

Bando, *Bando*, vrbs ampla et frequens, posita est.

IV. BVCKORENSIS DITIO, *Buckor*, ad Indum, laevam versus redit, cum oppidis:

Buckor, *Buckoria*, ciuitas elegans, arce, pluribusque ornata palatiis, ad Sietmagi et Indi confluentes sedet.

V. MVLTANENSIS DITIO, *Multan*, Indo flumine interluitur, in eodem tractu.

Multan, *Multania*, emporium diues, et propter amoenitatem regionis, venustum quoque, ditionis Persicae.

VI. PATANENSIS DITIO, *Patanes*, Cabulensi regioni subiecta, extrema est, in occidente.

§. XIV.

Subiiciatur, *vrbium* praecipuarum in *Indostania*, tabula.

1. *Metropoles*, in iisque: Agra, Jehennebat, Dehly, *regiae*; Attock, Gor, Jekenack, *palatia*.
2. *Portus*: Savoli, Cambaya, Diu.

§. XV.

Quod ad *naturalem* Indostaniae *statum*, attinet:

1. Regio, pro diuersitate plagarum, coeli solique disparis, ad *aquilonem*, frigidum, salutarem tamen, inter montes, montiumque iuga, habet aerem. Quae, *meridiem*

em versus, in vastam diffunditur planitiem, solisque subiicitur caloribus, superiore multo feracior est. Id mirabile videtur, quod his regionibus aquilo sex mensibus flet, auster rursum totidem.

2. Res, quas natura dat, in vegetabilibus sunt: frumentum, legumina, oryza, cannabis, anisum, sinapi, arundo, vitis, crocus, cinnamomum, ambra, nardus, opium, piper, aroma, mel, cera, pix, resina, palmula, poma citrea, aurantia, punica, ficus, ros marinus, flores diuersi, et Dutroa atque Costus herbae medicatae, ac inprimis arbos indica (*Cocusbaum*) ex cuius succo potum, vino similem conficiunt incolae, ex fructibus oleum, ex indusio varii generis vasa; ex cortice subtiliore telam; foliis denique pro papyro vtuntur; in *animalibus*, pecus, equi, elephantes, rhinocerotes, tigrides, simii, simii caudati, sciuri, crocodili, perdices, psittaci, galli indici, corui, vespertiliones, queis Indi vescuntur, serpentes, scorpiones, cicadae, glires, testudines, pondus centenarium superantes, apes; in *fossilibus*, magna in copia aurum, argentum, adamas, smaragdus, saphirus, hyacinthus, chrysolitus, amethystus, sarda, topazius, carbunculus chalcedonius, felini oculi, iaspis, agathes, haematites, ophites, marmor, sal petrae. Ars, contra effingit, linum xilinum, bombycinum, vestes lineas acupictas, corium, variamque, ex metallo et lapidibus pretiosis, supellectilem.

3. Incolae, qui partim ex antiquo *Indorum* genere, partim ex *Mogulis Tartaris*, orti sunt, facie flaua, et subfusca, ingenua tamen, gaudent, ad artes et humanitatem, cumprimis proni. Crimine non minus desidiae, ac libidinis a plerisque arguuntur. Id certum est, bello et mercatu eosdem ab aliis gentibus multum superari.

4. Loquuntur sermone vario, *Indo Brachmanico*, *Malabarico*, *Kalmuco-Tunguto-Mugolico*, et *Bengalico*, in Prouinciis vero Portugallicis, *Portugallico*. Praeterea

terea, dum rem sacram faciunt, Arabico vtuntur; in regia Persico.

§. XVI.

Quod ad *statum* regionis huius *ciuilem*, adtinet:

1. Regimen Indostaniae, quod *Tartari Moguli*, seculo XIV. Duce Tamerlane occuparunt, est *despoticum*. Tenet illud *Imperatoris* titulo, MAGNVS MOGOL, ex genere Tamerlanis, quem Indi, *Padschach*, id est, Magnum Dominum, adpellant.

2. Administratur illud, domi quidem, per *Administros*, et *Aulicos*, quorum 12000. numerantur: foris autem in Prouinciis, per *Praetores*, atque viginti *Regulos* clientelares. Purpurati Mogolis *Omrahi* vocantur.

3. Reditus Indostaniae status, ex rebus natura et arte productis, vectigalibus, haereditatibus caducis, (post obitum ministrorum, et ducum belli, vniuersorum bona Imperator haereditate accipit) variisque incolarum donis, ad 300. milliones thal. quotannis computatur. Hinc, immensus ille thesaurus, in 365. aeraria diuisus, in quo, 1500. milliones auri et argenti signati; 2000. milliones auri et argenti crudi, vnionum item lapidumque pretiosorum, numerabantur: quem tamen, anno 1739. Kouli-Kan Imperator Persarum, multum imminuerat. De caetero, solium Imperatoris, 200. annorum opus 160. millionibus aestimatur.

4. Vires Indostaniae, quodsi animus iisdem inditus esset, forent insuperabiles. Potest namque, belli tempore, tercenta equitum, et nonaginta peditum millia, cum quinquaginta elephantum millibus, hostibus obiicere: quae tamen, triginta equitum, et nonaginta peditum, ex Hungarico atque Germanico exercitu, lecta millia, facili profligare possent negotio. Mari, quod classe careant, et peregrini portus occupatos teneant, haud multum peraeque poterunt.

5.

5. Religio, cui incolae Indostaniae dediti sunt, quadruplicis est nominis. 1. *Mahometanae*, addictus est Imperator, cum Administris et Proceribus, secundum *Hembeli* doctrinam. 2. *Pagana*, in quatuor, Braminorum, Rasbutorum, Baianorum et Soudratum, sectas, diuisa est. 3. *Christiana*, partim in *Thomitarum*, quae a D. Thoma, seu potius a Mar Thoma, Armenio, nomen accepit, quae Arrii et Nestorii dogmata sequi perhibetur; partim in *Occidentalium*, Romano-Catholicorum, Protestantiumque doctrinam et ritus, distinguitur.

6. Litterarum et antiquae sapientiae studiis, soli *Brammi*, Brachmanum quippe successores, dediti sunt. Reliqui accolae, *artes sellularias* amant, cum agricultura.

SECTIO V.

DE

INDIA

CIS ET TRANS GANGEM.

§. I.

INDIA haec, quam supra *Meridionalem* diximus, non solum *Gange* flumine, verum *sinu* etiam *Gangetico*, ad *ortum* atque *occasum* secreta, Oceano orientali immergitur, habetque speciem duplicis peninsulae.

§. II.

Iungitur in *aquilone*, Indostaniae; in *ortu*, Chinae imperio et Oceano; quam, in *meridie* atque *occasu*, Mare Indicum adluit, seiungitque ab insulis Indiae. Regio *citerior* lata 290 milliaria, longa 340 existimatur; *viterioris* longitudo 460, latitudo 240 milliaribus definitur.

§. III.

§. III.

Fluuios quatuor, ex lacu *Cananor* effundit, transmittitque per regionem orientalem, in Oceanum.

1. Siam, *Siama*, latere orientali, in sinum cognominem cadit.

2. Pequu, *Pequua*, amnis intermedius, in sinum Gangeticum properat.

3. Cosimin, *Cosiminum*, situ eodem, in sinum Gangeticum prouoluitur.

4. Caor, *Caora*, alueo occidentali, eidem sinui immertur.

§. IV.

Mare *Iudicum*, quod et *Orientale*, per plagam australem, longe lateque diffusum, in sinum exit duplicem. Quorum:

1. Sinus Gangeticus, *Golfo di Bengala*, latere occidentali, in Regnum Bengalae influit, et vtramque disterminat Indiam.

2. Sinus Siamicus, *Golfo di Siam*, in plaga orientali, in regnum Siamense semet insinuat.

§. V.

Interuentu sinus Gangetici, vt iam praediximus, in INDIAM TRANS atque CIS GANGEM, et vtraque iterum, in REGNA XXVIII. distinguitur.

§. VI.

INDIA TRANS GANGEM, a Tartaria, vsque ad Peninsulam orientalem, inter Indostaniam atque Chinam prorogata, REGNA XV. ambitu suo complectitur, in REGIONES II. SVPREMAM atque IMAM diuisa.

§. VII.

REGIO SVPERA, REGNA XI. ambitu suo comprehendit.

I. AR-

I. ARRACANIAE REGNVM, *Arracan*, praealtis septum montibus, ad sinum Gangeticum, Regi barbarae superstitioni dedito, et a suis diuino cultu honore, obsequitur.

Arracan, *Arracania*, caput est regni, et Regis magnifica sedes, palatio aureis laminis tecto, non minus validis memoranda munitionibus.

II. CASSVBIAE REGNVM, *Cassubi*, supra Arracaniam, Principi suo obsequitur.

Cassubi, *Cassubia*, vrbium prima, non minus opibus et commerciis, quam magnitudine eximia.

III. AVAE REGNVM, *Ava*, praepotens, ius in vicinos Indiae populos, principatusque, latissime exserit, Deorum cultui deditum.

Ava, *Aua*, metropolis frequens. atque munita, situs amoeni, sedem praebet Regi potenti.

IV. BRAMAE REGNVM, *Brama*, infra Avam, cui est insertum, ad *ortum* abit, pretiosis diues lapidibus.

Brama, *Brama*, oppidum est primarium, in regione ortiua, olim Regum Bramae sedes.

V. TVNQVINIAE REGNVM, *Tuncking*, a Chinensi Imperio auulsum, in *ortum* declinat; defendi potest, dum necessitas postulat, a 300000. armatis. De caetero, barbaram sequitur religionem. Eius sunt:

1. Carchao, *Carchaum*, vrbs laxa, et emporio clara.

2. Checo, *Keccia*, vrbs mirum in modum magna (millies enim mille incolarum habere dicitur) et populosa, sedes est regia.

3.

3. Tunquin, *Tuncking*, *Tunquinum*, et *Cuades*, illa vrbs magna, haec portus eximius.

VI. LAOS REGNVM, quod et *Chiocangue*, montibus circumseptum, atque Chinensi imperio ereptum, in Tunquinensium limite, Deos colit peregrinos.

Langione, *Langiona*, vrbs est in regione ista primaria.

VII. COCHINCHINAE REGNVM, *Cochinchina*, Chinensium Imperatoris vectigale, et ligno Calambae nobile, per oram Oceani prorogatur, diis peraeque servit alienis. Eius sunt:

1. Sinnua, et *Caccianum*, vrbes duae, sede Regis memorandae.

2. Quehoa, seu *Kerue*, vrbs ampla, emporio, et frequentia populi celebris.

VIII. CAMBODIAE REGNVM, *Camboya*, in clientela Regum Siam, ad *austrum* prospicit. Incolae eius barbari, et vivi DEI ignari sunt.

Camboia, *Leweck*, *Cambodia*, metropolis et regia, Portugallorum atque Chinensium commerciis celebrata.

IX. SIAMENSE REGNVM, *Siam*, ad sinum cognominem, in *meridie*, praepotens, vtpote amplius centum millibus peditum, triginta equitum, et elephantis mille stipatum.

1. Siam, *Siam*, vrbs magna, mercatu incluta.

2. Vdia, *Odian*, quae et *Juthia*, vrbs primaria, et regia sedes, prope ostia fluuii Menan. Aedes CCCCM. et fana Deorum XXXM, cuncta pelago imposita, habere affirmatur.

X. MARTABANIAE REGNVM, *Martaban*, in Regum Auae potestate, in plaga *occidentali* iacet.

Martaban, *Martabanum*, vrbs ampla, et frequens, portum habet.

XI. PEGVANVM REGNVM, *Pegu*, Regi Auae subiectum, per oram occidentalem adsurgit. Huius incolae, quotannis virginem pingui corpore deastro suo immolant, a fani Sacerdotibus, praeter cor, impio ritu deuorandam.

Pegu, *Peguum*, quod et *Pegicum*, vrbs mirifice magna, et insigniter munita, quondam Regum, nunc Gubernatoris domicilio incluta.

§. VIII.

Regio Ima, a veteribus, *Chersonesus Aurea* dicta, et Siamico atque Gangetico sinubus, in peninsulam coacta, Regnis IV. excellit.

I. TANASSERIAE REGNVM, *Tenacerim*, Regum Siamensium clientelare, exile est, per oram sinus Gangetici patens.

Tenacerim, *Tanasseria*, vrbs est maritima, cum portu.

II. MALACCAE REGNVM, *Malacca*, veterum *Chersonesus aurea*, Regna III. totidemque vrbes primarias, in Regum Siamensium clientela, complectitur.

1. Patana, *Patana*, regni Patanensis metropolis, Principi independenti subiacet, in ora sinus Siamici.

2. Ihor, *Ihora*, vrbs munita, et regni Ihorensis, facile prima, ad *austrum*.

3. Malacca, *Malacca*, vrbs ampla et frequens, portu securo et capaci instructa, *regni cognominis* princeps, primum a Portugallis, deinde ab Hollandis occupata, mercium depositorio est destinata, in *occasu*.

§. IX.

India Cis Gangem, in Peninsulam occidentalem, sinu Gangetico et mari Persico inclusa, Regna XIII. in se continet, in V. Litora distincta.

§. X.

§. X.

GOLCONDANVM LITTVS, *Golconda*, oram maritimam, iuxta sinum Gangeticum, cum REGNIS II. in *oriente*, occupauit.

I. ORIXAE REGNVM, *Orixa*, *septentrionem* versus, in finibus Indostaniae, et in Regis Golcondae iurisdictione, situm est.

Orixa, *Orixa*, vrbs ampla, mercatu, et basilica sancti Thomae, nobilitata.

II. GOLCONDAE REGNVM, *Golconda*, situ inferiore, Regi suo, clientelae tamen nomine, etsi 200000. peditum, equitum vero 50000 hosti opponere possit, Indostaniae Imperatori, obsequitur.

1. Golconda, quae et *Bagnagar*, metropolis, et Regum sedes splendida, munitaque, lupanaribus infamis.

2. Culor, *Culorum*, adamantum fodinis, in quibus ad 60000 homines lapides hos pretiosos (omnes magnitudine antecedunt) scrutantur, nobile.

3. Masulipatan, *Masulipatanum*, vrbs maritima, commerciis Europaeorum nota.

§. XI.

COROMANDELIVM LITVS, *Coromandel*, eodem fatere *orientali*, cum REGNIS III. in *australem* declinat, profertque oryzam inprimis, et erioxylon. Maxima pars incolarum daemones adorat, ferasque bestias.

I. NARSINGANVM REGNVM, *Narsinga*, optime, prouidentia Regis, administratur. Vbi:

Narsinga, *Narsinga*, vrbium prima, structurae elegantis, in maritimis, cum sede regia splendida.

II. BISNAGARIENSE REGNVM, *Bisnagar*, Regem habet potentem. Hoc tractu iacent:

1. Bisnagar, *Bisnagaria*, quae et *Chandegery*, metropolis atque regia, ingentis magnitudinis, cuius vtpote circuitus 7. milliarium est, muro triplici, et arce valida communita.

2. Maliopor, quae et *Thomapolis*, vrbs ampla, a sancto Thoma, qui ibidem interfectus esse dicitur, cognominata.

3. Tranguebar, *Trangeor*, vrbs moenibus, castelloque munita, eaque Danorum mercaturae praesidium, a missionibus Euangelicorum et editione Bibliorum, linguae Malabaricae, cumprimis nota.

4. Negapatan, *Negapatanum*, munitio valida, et emporium, in Hollandorum potestate.

III GINGIENSE REGNVM, *Gingi*, in clientela Bisnagarienſi, infra est.

Gingi, *Gingium*, vrbs structurae mediocris, praetorio regio et castro communita.

IV. MADVRAE LITVS, *Madura*, oram *australem* occupauit, diuersis obnoxium regulis.

1. Mannapaar, *Mannapaara*, oppidum iuris Hollandici.

2. Madure, *Madura*, metropolis est, castro communita.

3. Capo Comorin, *Comorinum*, promontorium, in extremo peninsulae apice, maxime australe.

§. XII

Malabariae Litvs, *Malabar*, latere *occidentali*, per oram australem prolatum, Regna IV. numerat. Serpentes alit tanta magnitudine, vt facile omem deglutiant; quia tamen veneno carent, adeo nihil nocent, vt contra esca sint incolis. Hic turpis viget polyandria.

I. TRAVANCKORIVM REGNVM, *Travanckor*, cum regno *Coulang*, coniunctum, vni Regi subest.

1. Travanckor, *Trauanccoria*, oppidum regionis primum, Europaeorum negotiatione clarum est.

2. Coulang, seu *Coylang*, regni cognominis caput, Hollandis, ab anno 1662. paret.

3. Calicoulang, *Caliculangia*, regni huius nominis, quod in Hollandorum foedere est, regia.

II. COCHINVM REGNVM, *Cochin*, peramoenum, Regem habet. In eius ditione:

1. Cochin, *Cochinum*, metropolis, vetustate, munitionibus ac aedificiis, post Goam facile secunda, ab anno 1663. in Hollandorum potestate est.

2. Koutschien, *Kutsienna*, sedes Regis, in mediterraneis.

III. CALECVTIVM REGNVM, *Calecut*, Portugallis clientelare, cuius Rex, *Zamorin*, id est, numen terrestre, adpellatur.

1. Cranganor, *Cranganoria*, regni cognominis, quod Calecutio, cum Rege subiacet, prima, ab anno 1662. ad Hollandorum ditionem pertinet.

2. Calecut, *Calacutium*, vrbs magna, et populosa, portuque firmata, non solum Regi, verum nationibus etiam diuersis, hospitium praebet.

IV. CANANORIVM REGNVM, *Cananor*, cuius Rex a suis pro Deo colitur, inde adsurgit. In quo:

1. Cananor, *Cananora*, vrbs frequens et munita, cum portu capaci, Hollandis subiacet.

2. Palypatan, *Palypatana*, vrbs magna, inde recedit, sede regia commemoranda.

§. XIII.

CVNCANVM LITVS, *Cuncan*, supra, per tractum *occidentalem* adsurgens, REGNA III. complectitur, gemmis clarissimis, et theombrotio dives.

I. CANARAE REGNVM: *Canara*, in Canarianorum regione, Portugallis, cum Rege subiectum est. Vbi:

1. Magalor: *Mangeloor*, *Magaloria*, vrbs maritima, et munitionibus confirmata.

2. Baticala, *Baticala*, vrbs adaeque maritima, et sedes regia.

II. CVNCANVM REGNVM, *Cuncan*, inde adsurgit.

1. Goa, *Goa*, vrbs admodum magna, portu, et sex castellis munita, in potestate Portugallorum, Archiepiscopo, qui et Patriarcha Indiae, Proregi, academiae, emporio, et tribunali inquisitionis hospitium; Francisco Xauerio, Indorum Apostolo, sepulcrum concedit.

2. Visapor, *Visaporia*, metropolis atque regia, non solum magnis propugnaculis, verum praesidio etiam communita

III. DECANVM REGNVM, *Decan*, Magni Mogolis stipendiarium est. Oppida eius sunt:

1. Decan, *Decanum*, caput regni, ac emporium celebre; in quo adamantes pretiosi reperiuntur, non legitur in quibusdam tabulis.

2. Andanager, *Amedanager*, sedes regia, adamantum fodinis diues, in mediterraneis.

3. Dabul, *Dabulum*, oppidum maritimum, in ditione Anglorum, ad laeuam.

4. Chaul, *Chaulum*, oppidum, portu ornatum, in potestate Portugallorum, supra est.

§. XIV.

Adnectitur *vrbium* praecipuarum, in vtraque *India*, tabula.

1. *Archiepiscopatus*, Ecclesiae Occidentalis II. cum Episcopatibus VI. sub Lusitanis. 1. ARCHIEPISCOPATVS GOANVS, Goae, cui suffragantur Epiſcopatus VI, *Cochi-*

chinenſis ſeu Cochin, *Malacenſis*, Malacca, *Meliaporenſis*, ſeu Sancti Thomae, *Granganorenſis*, antea *Angamalenſis*, Angamale, in India intra Gangem, *Macaonenſis*, Macao in China, *Nangazachienſis*, Nangazachi, in Iaponia. 2. ARCHIEPISCOPATVS CRANGORENSIS, in India Orientali, nullum Epiſcopum ſuffraganeum habet.

2. *Academia*, vna, Goana, cui Schola Europaeorum Tranquebarana, adnecti poteſt.

3. *Metropoles*, pro numero Regnorum Cis Gangem, ſunt XIII. Trans Gangem XV. Quibus, *Goa*, ditionis Portugallicae metropolis, adnumeratur.

4. *Portus*: Dagon, Cuady, Martaban, Tenacerim, Malacca, Calecut, Cananor, Onor, Bombaya, Goa, Chaul.

§. XV.

Quod, ad *naturalem* Indiae *ſtatum*, adtinet:

1. Regio ingens, vsque ad pelagus extenſa, alicubi, *pinguis* et feracis ſoli eſt; alicubi, ob aeſtus intolerabiles, *inhabitabilis*.

2. Scatet ea, vario rerum animantiumque genere. Ferunt namque regna haec, in *vegetabilibus*, aromata, zingiber, piper, nuces moſchatas, cariophyla, cinnamomum, crocum, ambram, oryzam, ficus, erioxylon, theonbrotion, cardamomum, coccos, gummi laccae, ſacharum, opium, herbam nicotianam, fabas caffe, mel, ceram; in *mineralibus*, aurum, argentum, adamantes, ſmaragdos, rubinos, topazios, turceſios, aliosque lapides pretioſos, margaritas, lapidem bezoar; in *animantibus*, leones, tigrides, pantheras, elephantes, leopardos, camelos, buballos, crocodilos, viperas, ſerpentes immanes, pauones, gallos Indicos, pſittacos, et veſpertiliones magnitudinis inuſitatae.

3. Lignationis atque frumenti, qua Indi laborant, penuria, ex Europa, per negotiationem ſuppletur.

4. Tenent oram gentes atrae, habitu ac moribus dissimiles. Quorum pars, lino aut lana vestiuntur; pars nudi agunt, obscoena tamen velati. Pigri sunt ii, tardique, nonnullis tamen, qui contexendo lino xilino incumbunt, habentque, cum Anglis, Portugallis, Hollandis atque Danis commercia, exceptis.

5. Sermo, *Malabaricus*, et *Indo Brachmanicus*, cum *Bengalico*, atque *Tunquino*, inter diuersas linguas, quibus variae apud Indos nationes, colloquuntur, maxime Europaeis innotuit.

§. XVI.

Quoad, *ciuilem* Indiae *statum*:

1. Regimen in XXVIII. Indiae Regnis, partim *despoticum* est, partim *clientelare*. Inter eos, qui sui iuris sunt, et despotice regnant, octo potissimum eminent: *Visapour*, *Cananor*, *Bisnagar*, *Golcondae*, *Arracanae*, *Auae*, *Siam* et *Tunquiniae*, Reges. Reliqui, vel sunt in Magni Mogolis, et potentissimorum Regum Indiae, clientela; vel, in Portugallorum, Anglorum atque Hollandorum, fide.

2. Administrantur regna diuersa, per Administros, qui in Tunquetana regione, *Mandarini*, vocantur.

3. Vires, pro reditûm magnitudine, propemodum immensae esse videntur. Nullus enim est, ex praepotentibus Indiae Regibus, qui non, centum, ducenta, aut trecenta militum millia, cum ducentis aut septingentis armatis elephantibus, pacis tempore alat.

4. Religio, inter varios Indiae populos, locum inuenit: 1. *Pagana*, partim Braminum superstitione, ad cultum mali genii accommodata; partim, ex China, in regnum Tunquiniae traducta. 2. *Mahometana*, in quaedam Indiae regna inuecta. 3. *Christiana*, eaque, partim Thomitarum, qui cum Ecclesia Romana uniti sunt; partim Europaeorum industria promota, et pro nationum numero, in Romano Catholicam, Reforma-

formatam, atque Euangelicam, cuius sedes est Tanquebariae in Malabaria, distincta.

5. Sapientiae, quae per Indiam propagatur, triplex est ratio. *Indicam* tradunt Bramini, veterum Brachmanum posteri. 2. *Chinensem*, in regno Tunquiniae, assectae Confucii. 3. *Europaeam*, cum sacram, tum profanam, cumprimis, in ditionibus Portugallicis, et in Malabaria, Occidentales Christiani.

6. Nummis Indorum, imprimitur imago idoli, quod colitur, cum epigraphe: *Domine, recordare populi tui.* Pro quibus, Indorum plerique, aurum et argentum non signatum, in commerciis rerum, adhibent. Praecipuarum nomina sunt monetarum *Bagode*, 4. fl. et *Fana*, 1c. cruciferis aestimata.

SECTIO VI.

DE

TARTARIA MAGNA,

Speciatim

RVSSICA.

§. I.

Inde, borealem Asiae oram, TARTARIA, seu TARTARIA MAGNA, quae et ASIATICA, *Die Tartarei*, *Tatár Országh*, occupat. Quod nomen, non a flumine, vt quidam autumant, verum, a Scytharum cohortibus, subnatum esse creditur. Tatar namque, cohortem, lingua Scythica denotat. Sunt, qui maiore probabilitate, id ab *Alaenzae* Chani filio *Tataro*, qui hic vetustis temporibus late imperabat, deriuant. Scythia priscis vocabatur.

§. II.

Regio vasta, longa vtpote plus minus M. lata IOC milliarium, in extremum *boream orientemque* recedit, in *septentrione* Glaciali; in *ortu*, orientali clausa Oceano. Quae, vbi in *meridie*, Chinam, Indiam, Indostaniam, atque Persiam, contingit; in *occasu*, iisdem, quibus Asia, limitibus, a Tartaria Europaea, atque Russia, discriminatur.

§. III.

Montium, qui ampliſſimam Tatarorum regionem interiacent, diuersa sunt nomina. Vtpote:

1. Montes *Riphaei*, seu *Hyperborei*, Russis, *Semeno Kamenoje*, *Stolpe*, et *Poyas*, dicti, per Siberiae atque Russiae collimitium, late protrahuntur

2. Montes *Rhymnici*, *Ural*, qui et *Aquilarum*, *Orline Hory*, in eodem Siberiae limite, ad *meridiem* divergunt.

3. Montes *Ari*, niuosi, *Mustag Ari*, in Tartaria Russica iacent.

4. Montes *Hinkan*, vel *Henkan*, *Alin*, in Tartaria Chinensi eminent.

§. IV.

Mare, quod Tartariam, ex triplici adluit latere, divortio magno dirimitur.

1. Mare *Nigrum*, seu *Pontus Euxinus*, Turcis *Cara Denghis*, Russis *Sorno More*, nominatum, ex eodem cardine, in mare Mediterraneum profluit. Cum quo,

2. Palus *Maeotis*, *Mare Azouiense*, *Mare de Zabaque*, apud Tanais ostia copulatur.

3. Mare *Caspium*, seu *Hyrcanum*, Russis *Chwalinskoi More*, Persis *Kolsum*, Turcis, *Bahri Gase*, cognominatum, Astracaniam ad *meridiem* adluit.

4. Oceanus *Tartaricus*, qui et *Scythicus*, *Arctous*, plagam obsedit borealem; diciturque propterea, mare *Boreale*, *Septentrionale*, et propter frigus constans, *Glaciale*.

5. Oceanus *Tartaricus*, qui et *Eous*, in orientali profunditur cardine, a quo etiam, nomen maris *Orientalis* accepit.

§. V.

Lacus caeteris maiores sunt:

1. Baikal, *Swiatoje More*, accolis *Lacus sacer* dictus, vndique montibus cingitur, longus 500, latus ad 30 milliaria Russica.

2. Altin, *Teleskoi Ostro*, cuius latitudo circiter 12. milliarum est, longitudo vero 18.

§. VI.

Flumina maiora sex, ex Tartariae montibus, in Oceanum labuntur, isto ordine:

1. Tanais, *Der Donstrom*, Tartariae Asiaticae, ab Europaea discriminator, per tractum occidentalem, in paludem Moeotidem, influit.

2. Wolga, *Der Wolga-strom*, quondam *Rha*, *Atel*, adpellatus, ex regno Astracan, in mare Caspium, latere occidentali, manat.

3. Obius, *Oby*, *By*, *Umar*, ex lacu *Altino* ortus, multis, magnisque fluuiis, in his *Irtischo* auctus, in oceanum septentrionalem exit; a quibusdam, limes inter Europam atque Asiam, statuitur.

4. Jenisea, *Jenisei*, *Kem*, par Obyo magnitudine, quinque impeditus cataractis, ex Siberia fluens, ab eodem absorbetur oceano.

5. Lena, *Urus*, secundus Siberiae fluuius, in eundem, eodem latere, quinque alueis oceanum exit.

6. Amurus, *Amur*, Sinis *Helong-Kiang*, per Tartariam Chinensem, in oceanum orientalem properat.

§. VII.

Diuiditur, pro imperii ratione, in PROVINCIAS MAIORES III. RVSSICAM, CHINENSEM, et INDEPENDENTEM TARTARIAM. Quarum cuilibet, REGNA vasta, et potentissimae includuntur REGIONES.

§. VIII.

RVSSICA TARTARIA, a Russia Magna, vsque ad mare Orientale, inter Oceanum septentrionalem, et Tartariam Chinensem atque independentem, per *occasum*, *septentrionem*, *ortumque*, protrusa, in CASPIANAM TARTARIAM, atque SIBERIAM, distinguebatur olim: hodie in quinque PRAEFECTVRAS, quas Russi *Gubernias*, vocare solent, distinguitur.

§. IX.

PRAEFECTVRA CASSIA seu CASAN, regnum olim Tartariae, quod Ioannes Basilovics, an. 1552. sub Russorum redegit potestatem. Inhabitant praeter Tartaros et Russos, Cseremissi, Mordvini, Csuvassi, Wotiaci, Permiaci, Siriaeni, et Wogules, qui eiusdem dicuntur esse originis, cuius Hungari, et linguae cognatione ad eosdem accedere.

§. X.

Diuiditur ea in VI. PROVINCIAS, quarum haec sunt vocabula:

I. CASSIA PROVINCIA, *Kasan*, in qua obseruantur:

1. Casan, *Casanum*, *Cassia*, vrbs operibus munita, Praefecti, et Archiepiscopi sede, 50 templis, 11 claustris, atque Gymnasio celebris.

2. Vrschum, *Vrsuma*, vrbs ad amnem cognominem.

3. Tetuschi, *Tetusia*, oppidum vile, in cuius vicinia vrbs quondam percelebris Bulgaria, regni caput steterat.

II.

II. SINBIRSKIA PROVINCIA, cuius oppida sunt:

1. Sinbirsk, *Sinbirsca*, vrbs Prouinciae primaria, haud procul a Wolga flumine.

2. Samara, *Samara*, vrbs propter Wolgam, colli imposita, et acutis circumdata sudibus.

3. Sergiewsk, *Sergievsca*, oppidum, in cuius vicinia multae scaturigines sulphureae visuntur.

III. PENSANA PROVINCIA, *Die Pensinskischе Provinz*, vbi:

1. Pensa, vrbs primaria ad Suram in colle, plurimorum domicilium mercatorum, in qua 12. templa numerantur.

2. Saransk, *Saranska*, oppidum ad amnem cognominem.

IV. SCHVIAESKIA PROVINCIA, iacet apud Wolgam, in qua:

1. Schwiaeschk, *Suiescia*, vrbs praecipua cum arce.

2. Tchebaksar, *Thebacsara*, in colle sita, vrbs penes Wolgam.

3. Kusmodemiansk, vrbs ampla quidem satis, sed infirma.

V. WIAETKANA PROVINCIA, in limitibus Permiae sita, cuius oppida sunt:

1. Chlynow seu *Wiaetka*, vrbs ad fluuium cognominem, sedes est Episcopi, arce lignea munita.

2. Orlow, seu *Orel*, oppidum non maximum.

VI. PERMIA seu KVNGVRA PROVINCIA, salis puteis notabilis, in finibus Siberiae, vbi:

1. Kungur, *Kungura*, caput prouinciae, muro ligneo septa.

2. Tscherdin, olim metropolis Permiae magnae, multum ex vetere amisit claritate.

3. Solkamskaja, seu *Solikamsk*, oppidum ad Vssolkam fluuium, salinis opulentum.

§. XI.

PRAEFECTVRA ASTRACAN, *Astrachanskaja Guberniia*, vetus regnum Tartarorum Astrachan, quod Iwan Wasiliewitsch an. 1554. subegerat, frumenti quidem sterilis est, quod raro aestate pluat, at ferarum, variorum fructuum, salis, herbarumque, in his *Glycyrrhizae Liquiritiae*, feracissima. De caetero colunt eam *Tartari Nogai*, Nomades, Mahomedanae religioni addicti, ex quibus viri equis, feminae et liberi vaccis, bobusque, dum peregre abeunt, insident, et Törgöti, a Bulgaris, et Russis *Calmuci* nominati, gens, si paucos excipias, Deorum cultui dedita. Deastrum, quem maxime venerantur, *Burchan* vocant.

§. XII.

Sunt vero in Praefectura Astracana sequentia oppida, ante alia memoranda:

1. Astrachan, *Astracan*, *Astracanum*, vrbs ampla et frequens, Wolgae alueo, in *Seitza* insula, circumcincta, emporium est diuersarum gentium commerciis, Praefecti, duorum Episcoporum, Russici nempe et Armenii sede, celebratum, vbi praeter alios, Romano-Catholici et Lutherani templa sua habent.

2. Krasnoijar, vrbs munita ad brachium Wolgae, nitraria celebris.

3. Jenataiovka, apud cornu prioris fluuii, vallo et aggeribus cincta.

4. Zarizin, vrbs munita, a qua aggeres, a Wolga ad Tanaim ducti, denominationem acceperunt.

5. Kislar, *Kislaria*, munimentum in finibus Persidis ad arcendos hostes an. 1735. excitatum.

6. Incolae, praeter supra dictos, *Europaei*, *Cosaci* item *Semeini*, et *Grebenskii*.

§. XIII.

§. XIII.

PRAEFECTVRA ORENBVRGENSIS, pars Magnae Bulgariae, veterisque Cumaniae, affinis, qua ad *austrum* vergit, mari Caspio, qua ad *occasum*, Casan et Astracan Praefecturis, qua ad *boream*, Siberiae, qua tandem ad *ortum* regioni Kirgis Kaisakorum, anno 1744. instituta. Magnete inprimis et sale fossili abundat. Incolae eius sunt praeter Europaeos, quibus libertas religionis, quam quisque profitetur, an. 1734. edicto caesario promissa, *Cosaci Jaikisii*, *Baskiri*, *Tartari Vfisii*, et *Mestseriaki*, *Törgöti*, *Wotiaci*, et *Csuvassi*.

§. XIV.

Abscinditur Praefectura haec in IV. Prouincias, quarum haec sunt nomina:

I. ORENBVRGICA PROVINCIA, ad Iaicum et Samaram fluuios sita, in qua occurrunt:

1. Orenburg, *Orenburgum*, vrbs Praefecturae princeps, in planitie amoena, pulchre aedificata, an. 1742. operibus, tormentisque bene munita.

2. Gurjew Gorodok, vrbs haud procul a mari Caspio, piscatu excellit.

II. ISETTIA PROVINCIA, *Die Isettische Provinz*, in limite Siberiae, ad quam olim pertinebat, in IV. diuisa districtus, oppidis vacua. Princeps munimentum *Tsilabinskaja* nominatur.

III. VFANA PROVINCIA, Hungarorum, et Cumanorum, vt plerique volunt, patria, hodie a *Basciris* inhabitatur. In ea est:

1. Vfa, vrbs munita ad Belaiae et Vfae confluentem.

2. Vral, Mons, in plurima discerptus iuga, cedris et diuerso genere lapidum, abundat.

IV. STAVROPOLA PROVINCIA, eorum, qui ex Tartaris Christiana amplectuntur Sacra, confugium, vbi:

1. Stawropol, vrbs ad brachium Volgae excitata, palis caſtelloque munita.

2. Diſtrictus VIII. *Diſtantias* vocant, in quibus plurimae munitiones poſitae ſunt.

3. Jaitzkoi Gerodok, vrbs Coſacorum, laikenſium palmaria, palis aggeribusque cincta.

4. Incolae, praeter ſupra nominatos, *Kirgis Kaiſakorum*, qui ſunt Tartari Nomades, Mahomedanae religioni addicti, cohortes duae, quas Ruſſi *Srednaia*, et *Menſchaia Orda*, id eſt, mediam et minorem, (maxima, *Bolſchaia Orda*, ad Talaſim et Ariſum fluvios oberrat) cohortem vocant.

§. XV.

SIBERIA, regio oppido vaſta, vtpote cuius amplitudo ad ducenta quadraginta duo millia quadratorum milliarium efficit, mari glaciali ad boream verſus terminatur Frigus in ea hyeme tantum eſt, vt vim eius alii, praeter indigenas, difficulter ferre poſſint: ſed calor quoque aeſtate, quod ſol raro occidat, fere intolerabilis. in ſilvis, quae ſunt patentiſſimae, diuerſa genera ferarum reperiuntur, in his praeſertim martes, et quae has pretio ſuperant, vulpes nigrae. Ex terrae autem viſceribus, aurum, argentum, cuprum, ferrum, lapides pretioſi, ſal, caet. incolae regionis ſunt triplicis ordinis, vtpote *veteres indigenae*, quorum praecipui exiſtimantur *Wogules*, ſeu *Ugrosi*, eiusdem cum Finnis et originis et linguae, (ſunt, qui Hungarorum maiores adſerant) naturali, vel paganae religioni addicti; *Tartari*, Mahomedani paganique, in 10 claſſes diuiſi; et *Ruſſi*.

§. XVI.

Vniuerſa Siberia, vsque ad Catharinae II. imperium, vna duntaxat Praefectura abſoluebatur. in tres abſciſſa Prouincias. Noſtra iam aetate in duas; *Siberiam*, ſeu *Tobolskienſem*, et *Irkuczkenſem Praefecturas*, et *Ditionem Catharinaeburgenſem*; dirimitur.

§. XVII.

§. XVII.

PRAEFECTVRA SIBERIA binas ambitu suo complectitur Pronincias, quarum est

I. TOBOLSKIENSIS PROVINCIA, in IV. Distrietus diuisa. Vrbes praecipuae sunt:

1. Tobolsk. *Tobolium*, vrbs ampla, totius Siberiae caput, Praefecti et Archiepiscopi sede, castro, mercatu, et schola, quam Suecici militum ductores, ad Pultavam capti, aperuerant, perinclyta, prope confluentem Irtis et Tobolae.

2. Abalak, *Abalacum*, vicus, qui ob iconem B. V. Mariae celebratur.

3. Tumen, seu *Tsimgi-Tura*, vrbs ad australem Turae ripam constituta.

4. Turinsk, *Turinsca*, ad eundem fluuium, anno 1600. posita.

5. Werchoturie, *Verchoturia*, vrbs pari modo apud Turam sita, castro, rupi S. Trinitatis (Troitzkoi-Kamen) imposito defenditur, iacet in regione cedris amoena.

6. Pelim, *Pelima*, oppidum valido munimento firmatum, propter Tawdam fluuium, exsilio Ernesti Jo. Bironis, Ducis Curlandiae, et Com. a Münnich memorandum.

7. Jamyschewskaja, praecipua ad Irtissim munitio, anno 1717 exstructa.

8. Beresow, *Berefovia*, vrbs anno 1593. condita, ad ripam Soswae, Principis Mentsikouii, qui hic an. 1731 obiit, captiuitate notanda.

9. Surgut, *Surgutum*, vrbs ampla, palis et turribus munita, in cuius vicinia pulcerrimae martes, vulpes tam nigrae, quam albae, capiuntur.

10. Tomsk, *Tomsca*, vrbs anno 1604. apud Tomum fl. aedificata, praeter castrum, ad bis mille domus numerat, rerum variarum negotiatione inclyta.

11. Kusnetzk, *Kusneca*, officinis fabrorum, a quibus nomen sortita est, in omnes peruulgata.

12. Nouaia Semla, vulgo *Noua Zembla*, hominibus vacua, ad hanc pertinere videtur Praefecturam, quando huius solum incolae eodem venatus caussa traiicere solent.

II. IENISEISKAIA PROVINCIA, in complures absciſſa ditiones, cuius, in reliquis, oppida excellunt:

1. Jeniseisk, *Jeniſaiscia*, metropolis Prouinciae, ad fluvium cognominem sita, Archimandritae sedes, ciues habet voluptati et otio deditos, quos eapropter Skwosnikos Russi adpellant.

2. Mangasea, seu *Turuchansk*, vrbs ad Tasum fluuium, mercatu pellium plerasque antecellit.

3. Krasnojarsk, *Krasnoiarſcia*, vrbs solum habet omnium paene fertiliſſimum, apud flumen Jenisci, in cuius vicinia ſpecus, figuris depictae, obseruantur.

4. Kanskoi, *Kanskoa*, vicus sudibus septus praeacutis, mercatione clarus.

§. XVIII.

PRAEFECTVRA IRKVSZKIA, *das Jrkutzkiſche Gouvernement*, in IV. Distrietus, et *Ditionem Ochotzkiensem* diuisa. Oppida, quae ceteris antecellunt, sunt:

1. Irkutzk, *Ircutia*, metropolis loco amoeniſſimo sita, Praefecti et Episcopi sede memorabilis, amplitudine secunda a Tobolio, eo famosa, quod ciues habeat rebus venereis, otioque deditos.

2. Selenginsk, *Selenginsca*, oppidum ad Selengam fluvium, leniter munitum.

3. Vdinsk,

3. Vdinsk, *Vdinscia*, oppidum priori haud absimile, ad eundem fluuium.

4. Nertsinsk, *Nercinscia*, oppidum Chinis affine, pace Russos inter atque Sinas, an. 1689. inita, memorabile.

5. Argunskoi Ostrog, *Arguna*, oppidum palis cinctum, effosso argento et iaspide diues.

6. Jakutzk, *Jacutzkia*, vrbs mercium commutatione nota, ad fluuium Lenam, collibus cincta.

7. Ochotzkoi, *Ohoczcoa*, oppidum tenue, sede tamen Praetoris Ditionis Ochotzkienis, et Peninsulae Kamtsatkae, de qua mox plura exponemus, memorandum.

§. XIX.

KAMCZADALIA PENINSVLA, *Kamtschatka*, graduum magnitudinis amplius septem, perpetuis montium iugis, fere in duas aequales scinditur partes. Abundat vario genere volucrium, piscium et ferarum, inter quas canes potissimum laudantur; marini bouem magnitudine superant: alii ad carros trahasque iuncti, vice equorum seruiunt. Vici in hac Chersonesо sunt quinque, a situ, *Werchnei*, *Nissnei*, cet. *Ostrog*, adpellati, aliquot montes igniuomi; fluuii Kamtschatka, Avatschka et Boltskaia Reka, id est, Magnus fluuius; Sessores *Kamtsadali* et *Koraeci*.

§. XX.

DITIO CATHARINAEBVRGENSIS, *das Catharinenburgische Gebieth*, ad quam omnes metallifodinae in Siberia Permiaque, cum adiacente regione, pertinent. Vbi:

1. Catharinenburg, *Ekaterinburg*, *Catharinaepolis*, vrbs praeclara, cuius fundamenta Petrus I anno 1723, iecit, opus totum Catharina anno 1726. consummauit, apud Iserum fluuium, qui eandem perfluit.

2. Schablischkaja, munitio parua, ad lacum cognominem.

3. Barnaul, locus multo ampliſſimus, propter confluentem Baurnalis et Obii, ob vſtrinas celebratus.

§. XXI.

Subiiciatur, *vrbium* praecipuarum, in *Tartaria Ruſſica*, tabula.

1. *Archiepiſcopatus* graeci ritus vnus: Tobolsk: *Epiſcopatus* duo: Aſtrachan et Wietka.
2. *Metropoles*, Caſan, Aſtrachan, Tobolsk, cet.

§. XXII.

Quod, ad *naturalem* Tartariae Ruſſicae *ſtatum*, pertinet:

1. Regio Tartariae, quae in *Scythiae Aſiaticae* locum ſucceſſit, vaſtitatis propemodum infinitae, pro vario coeli poſitu, varium habet ſoli habitum. Namque *Tartaria Ruſſica*, a Ruſſis, in extremum vſque orientem, per aquilonarem extenſa regionem, quamvis in *ſeptentrionibus* ſterilis ſit, propter hiemes perpetuas, et continua montium iuga: in *regione* tamen *auſtrali*, non ſolum fertilis eſt; verum diuerſis etiam rebus adfluens.

2. Abundat regio vaſta, in *vegetabilibus*, gramine, ligno caeduo, inprimis pino foliis quinis, ex cuius baccis oleum praeſtans conficitur. In tractu *auſtrali*, frumento, peponibus, vitibus; in *animantibus*, vrſis, vulpibus, hermelinis, martibus Scythicis, lyncibus, ſciuris, alcibus, machlibus, ceruis, in *foſſilibus*, metallis, mineralibus, ammochryſo ramentisque auri, quae flumina ſecum vehunt.

3. Incolae Tartariae in varias diſtincti nationes, *generatim*, in Ruſſos, Tartaros, Scythasque; *ſpeciatim*, in Czeremiſſos, Baſkiros, Katskaros, Iakutos, Coſaccos, Circaſſos, Aſtracanos, Volgaros, Calmucos, Oſtiakos, Vgoros, Samoiedos, Barabinzos, Tunguſos, Tschuktschios, alios diſtinguuntur.

4. Occu-

4. Occupantur *Russi*, praeter rem rusticam, negotiatione, quam, vsque in Chinam promouent; *Tatari*, aliique populi, re pecuaria et venatione.

§. XXIII.

Quoad *ciuilem*, Tartariae Russicae, *statum*:

1. Tartaria *Russica*, Russorum imperii Prouincia laxa, et partim, in *Praefecturas*; partim, in *Hordas* Tatarorum, diuisa, Russorum Imperatoris nomine, a *Praefectis* et *Principibus clientelaribus*, quibus sua sunt statiua, administratur.

2. Reditus stati, ex *decima* rerum pelliumque *parte*, item ex metalli et salis fodinis, in aerarium Imperatoris influunt.

3. Vires Tartariae Russicae, pro *magnitudine* regionis, et *multitudine* populi, mirifice possent intendi; nisi, et *seruitus* et *barbaries* tristis, priscam Scythiae *virtutem* sufflaminarent.

4. Religio triplicis nominis, isto terrarum tractu, in vsu est 1. *Christianam Orientalem* Graeci ritus Russi, cui addicti sunt, per regione vastam propagant. 2. *Mahometanam*, quaedam Tatarorum nationes obseruant. 3. *Paganam*, diuersi Samoiediae et Tartariae populi, superstitiose seruant.

5. Nummorum, in regione vasta, propter *permutationem* rerum, nullus est vsus. Russi tamen, inter se, nummos Russicos numerant.

6. Insigne Russiae Magnae, etiam in Tartaria Russica adhibetur. In qua, hodie dominatur cum imperio, CATHARINA II. Imp. Russorum, ab anno 1762.

SECTIO VII.

DE

TARTARIA INDEPENDENTE, SVI IVRIS.

§. I.

TARTARIA, seu TARTARIA INDEPENDENS, SVI IVRIS, Tartariae Russicae, in plaga *meridionali*, subest, a flumine *Tanai*, ad vsque montis *Altai* iuga, et Imperium *Sinarum*, tractu longissimo procurrens.

§. II.

Terminatur in *septentrionibus*, Russica; in *ortu*, Sinensi Tartaria, imperioque Sinarum. Quam, in *meridie*, India, Indostania, Persia atque Georgia, contingunt, claudunt in *occasu*, Tartaria Europaea, et Praefectura Astracan.

§. III.

Montium iuga, ex omni fere latere trahuntur, immittunturque in regionem prominentia.

1. Mons *Caucasus*, incolis *Cocas*, vel *Alburs*, *Alboris*, adpellatus, a mari Caspio ad Pontum Euxinum protensus, Asiam a Tartaria separat.

2. Mons *Vral*, ex radicibus Riphaeorum, per Astracaniae ac Siberiae confinium, in Turqueſtaniam excurrit.

3. Mons *Altai*, latere orientali, medius, inter Eleuthorum et Chinensium Tartariam, vsque ad desertum *Lop*, protrahitur.

4. Mons *Imaus*, *Maus*, *Mustagi*, qui et *Niuosus*, Tibet maioris atque Indostaniae discriminator, per tractum meridionalem extenditur.

5. Montes *Argu Tau*, *Tenebrosi*, inter Vsbekorum et Eleu-

Eleuthorum regionem, in auſtrum flectuntur, deſinuntque in *Ketwer* et *Bacalan*, veteris *Paropamiſſi* iuga, in litime Indoſtaniae atque Perſiae.

§. IV.

Mare duplex, totidemque lacus maiores, regionem vaſtam. interluunt.

1. Mare *Nigrum*, ſeu *Pontus Euxinus*, Tartariae Aſiaticae Minoris, latus meridionale, adluit.

2. Mare *Caſpium* ſeu *Hyrcanum*, Perſis, *Kolſum*; Turcis, *Babri-gaſe*, a Ruſſis *Chvalinskoi More*, cognominatum, Cis-Caſpianam Tartariam, a Trans-Caſpiana, diſtinguit.

3. Mare *Charaſmiae*, *Chovarmiae*, ſeu lacus *Aral'* inter Turcomannos atque Arallos, in Tartaria Trans-Caſpiana, diffunditur.

4. Lacus *Balkaſi*, *Palkaſi*, *Balchas*, in boreali Cantaiſchae regione ſtagnat.

§. V.

Flumina propemodum innumera, in Siberiam, atque Indiam effundit, recipit contra, pauca admodum.

1. Tanais, *Don*, Tartariae Aſiaticae, ab Europaea diſcriminator, in *occaſu*, in paludem Maeotidem mergitur.

2. Gihon, *Amudaria*, *Oxus*, in montibus Tenebroſi natus, medius inter Bactrianiam atque Perſiam profluit, indeque, in mare Charasmiae flectitur.

3. Sir, *Sirhun*, *Siridaria*, Sirdergias, Jaxartes veterum.

§. VI.

Diuiditur, maris Caſpii interventu:

I. In TARTARIAM ASIATICAM MINOREM, cis mare Caſpium.

II. In TARTARIAM ASIATICAM MAIOREM, trans mare Caſpium. Quarum haec iterum diſpeſcitur:

1. In KALMAKIAM OCCIDENTALEM, iuxta mare Caſpium, quae et Turcomannia.

2. In KALMAKIAM ORIENTALEM, ſeu Cantaiſchae Regnum.

§. VII.

TARTARIA ASIATICA MINOR, ſeu CIS CASPIANA, vel ASIA RVSSICA, aut CIRCASSIA, a *Tanai* flumine, ad pelagus *Caſpium*, inter *Wolgam* fluuium atque *Caucaſum* montem, late protenditur, in REGIONES *plures*, pro diuerſitate populorum, diuiſa.

I. CRIMEAE TARTARIAE PROVINCIA, per *orientale* Tanais et paludis Maeotidis latus, profertur, de qua ſupra expoſuimus.

II. TARTARIA LIBERA, ad Caucaſum. In qua occurrunt:

1. Abasgi, *Abcaſſi*, *Avocaſſi*, ſemper liberi, et ſacris Chriſtianorum addicti, in extrema Ponti Euxini ora.

2. Alani, *Alanorum* veterum poſteri, atque liberi, ſupra ſunt, in proximo.

3. Circaſſi, *Tzerkaſi montani*, olim in poteſtate Cani Crimenſis, nunc iuris ſui, in finibus Tartariae Ruſſicae.

4. Auari, *Awiri*, inter iuga Caucaſi, dextram verſus remoti.

5. Tauli, *Taulii*, antiquae libertatis adaeque ſtudioſi.

III. DAGESTANIA, *Dagheſtan*, ſui iuris, *occidentali* maris Caſpii litore in auſtrum deſcendens, *Dageſtanenſibus* et *Lesguis* Tataris, hoſpitium concedit. Vbi:

1. Tarku, *Tarcum*, ad mare Caſpium, primum eſt Dageſtaniae Georgianae oppidum, in poteſtate Ruſſorum.

2. S. Andre, *Andreow*, oppidum, ad refrenandam Dageſtanorum licentiam communitum.

3. Derbent, *Derbentum*, quondam *Alexandria Albaniae*, emporium eſt inſigne, caſtro ac portu, in anguſtiis, ad portas Caſpias, communitum, et Seruaniae Ruſſicae, cis amnem Cyrum, ab anno 1722. caput.

4. Schamachi, *Schamachium*, in eadem Prouincia, ſub Ruſſorum poteſtate.

§. VIII.

Tartaria Asiatica Maior, Independens, Trans Caspiana, vel Mogolia Occidentalis, a mari Caſpio, ad Regnum Cantaiſchae, inter Aſtracan, et Perſiam, excurrit, *duabus*que, Turkestaniae, et Vsbekiae Regionibvs, definitur.

§. IX.

Turkestana, *Turqueſtana*, a Jaxarte fluuio, cis et trans Arga montem patet, in *tractu ſuperiore*, parte orientali, regno *Cantaiſchae* inſerta.

I. KARAKALPAKKIA, item, Karakalmakia, extrema eſt ad *ſeptentrionem*, Praefectura Aſtracan, et lacu Chowarmiae concluſa, eaque Ruſſorum tributaria.

1. Coſacci *Kirgizi*, Ruſſorum ſtipendiarii, in finibus Aſtracaniae, ſedent.

2. Karakalpakki, ſeu *Karakalmaki* Tatari, Nomades ſunt, et *Coſaccorum* foederati.

3. Sabrana, *Sabra*, vrbs, ex antiquitate cognita, ad *ortum* conuertitur.

4. Alkariyah, ſeu *Aljadidab*, *Yankigand*, item *Turqueſtan*, vrbs primaria et vetus, infra eſt.

II. KASATSCHIA HORDA, priori, in plaga *orientali* subiacet, parte quadam *Cantaischae* subiecta. In qua:

1. Kasakki, regionis accolae, Tatari sunt Nomades.

2. Seiram, *Sirom*, in sinistro fluuii Schun latere collocata.

3. Ortar, *Farab*, regni cognominis, vrbs primaria.

4. Taschkunt, quae et *Aischasch*, Cani Hordae Cosaccorum, sedes hiberna.

5. Chojandah, seu *Cogende*, *Chozant*, maxime *australis*.

III. BRVTTORVM TARTARORVM REGIO, maxime *orientalis*, ad Cantaischae ditionem pertinet.

1. Aschkundt, *Aschkend*, et *Vrkend*, *Vzkund*, vrbium prima, ad aquilonem.

2. Incolae: *Brutti*, *Buruti*, *Porouti Tatari*, circa lacum Tuskel habitant.

§. X.

Vsbekia, *Vsbek*, quae et, Zagataya, *Zagatay*, occidentalem ac meridionalem tractum occupat, ac in Chorasmiam, Bochariam Maiorem; seu Maravalnahram, et Bactrianam, Regiones III. distinguitur.

§. XI.

Chorasma Regio, *Charsam*, *Chowaresem*, mari Caspio et lacu Chowarmiae adluitur. Vbi:

I. TVRCOMANNIA, in *orientali* maris Caspii litore. Quam accolunt:

1. Turcomanni Albi, *Turcmen*, sui iuris, ad *boream*; in quorum ditione,

2. Munckischalk, *Munkischalk*, vel *Monguslave*, portus maris Caspii celeberrimus.

3. Tur-

3. Turcomanni Nigri, *Cara Turcmen*, australes, et Tatarorum Chiwiniscorum tributarii; in quorum agro,

4. Balchan, *Barcan*, sinus, circa quem, Barcani veteres.

5. Ferawah, quorundam *Munkischalk*, vrbs maritima.

II CHIWA, seu CORCANG REGNVM, magis in *ortum* remotum, Regi magno, quem *Padschah* nominant, subest.

1. Vrgenz vetus, *Chiva*, *Chiva Maior*, a primariis Cani statuis, quae sub tabernaculis sunt, denominatur.

2. Vrgenz noua, *Corcang*, inde sequitur, ad Amudariam amnem.

3. Chiwa Minor, *Chiva noua*, statiua sunt, hodierni Cani Chiwinskorum, ad laeuam.

4. Cath, *Gaza*, et *Hazarasb*, *Zariaspa*, ex rebus antiquitus gestis cognitae, infra sunt, ad dextram.

5. Incolae regionis sunt: 1. *Aralli Tatari*, sui iuris suoque Cano subiecti, supra, ad lacum huius nominis sedent. 2. *Chiwinski Tatari*, cognomen acceperunt a statuis.

§. XII.

MAWARALNAHRA, TRANS-OXIANA, SOGDIANA, nunc BVKARIA seu BOCHARIA MAIOR, tota sub Rege Bocarae et Samarcandae, in *meridie* iacet, III distincta PROVINCIIS.

I. BOCHARIA PROPRIA, *Bukara*, Regnum est exile, iuxta Chorasmam: cuius Canus, titulum *Padischab*, id est Imperatoris, adfectat.

1. Bochara, *Buchara*, vrbs est regni prima, multo amplissima, patria Auicennae.

II.

II. SAMARCANDA REGNVM, *Samarcanda*, inde, ad dextram occurrit. Vbi:

1. Samarcand, *Samacandra*, olim regia Tamerlanis, vel Timur Begi, in *occasu*.

2. Ofrusnah, *Oxydrancae*, ex aduerso, *ortum* versus.

3. Kesch, *Ketsch*, oppidum, infra est.

4. Hisarec, *Isaria Kirillowio*, in *australum* declinat.

III. COTOLANA PROVINCIA, *Cotlan*, *Cotolan*, inter Wachs, seu Wachsab, et Badaschan atque Amu, fluuios, latere *australi*, ad Taischae ditionem exit.

§. XIII.

BACTRIANA CIS OXIANA, maxime *australis*, in Persiae atque Indostaniae collimitio, PROVINCIAS III. ambitu suo complectitur, isto ordine:

I. BALCH REGNVM, *Balk*, *Bactriana*, iacet in *occasu*. Vbi:

1. Fariab, *Farayab*, vrbs, positus superioris, in Chorasanae finibus.

2. Balch, *Balk*, Bactra vetera, ad dextram.

III. TOCARESTAN PROVINCIA, *Tocharorum* patria, in *medio*. Cuius sunt:

1. Culm, *Colom*, oppidum, Balchum, situ superans.

2. Condoz, *Condus*, vrbs est praecipua, et regiunculae cognominis prima.

3. Talakan, *Talacan*, inde ad laeuam recedit.

III. BADACSCHAN REGNVM, *Badacschan*, *ortum* adspicit. Ad quod spectant:

1. Ba-

1. Badacschan, *Bedacschan*, regni, et prouinciae Chilan caput, ad *septentrionem*.

2. Balur, *Balurum*, montibus Arga Tau, seu *Tenebrosis*, in *ortu*, obiacet.

3. Ketwer, et *Bacalan*, montes, veterum *Paropamissus*, male *Caucasus*, per limitem *australem* protensus, Tartariam separat ab Indostania et Persia.

4. Anderab, *Andarab*, trans montes in eodem cardine.

§. XIV.

Tartaria Asiatica Maior Independens Cantaischiana, seu Kalmakia Orientalis, a *Turquestania*, vsque ad *Altai* montis iuga, et *Sinarum Imperium*, inter *Siberiam* atque *Indiam*, latissime prorogatur, diuiditurque in Borealem atque Avstralem, Cantaischae Imperii, Regionem.

§. XV.

Borealior Cantaischae Imperii Regio, ambitu suo, partim Regnvm, partim Provincias Cantaischae, comprehendit.

I. REGNVM CANTAISCHAE, Kalmakia Elevthorvm Propria est, ex *septentrione*, in *ortum* prolata. In qua:

1. Harcas, *Vrga*, Cantaischae statiua, infra Balkasi lacum, in *medio*.

2. Step Yschimsky, *Desertum Ischimska*; ad *septentrionem*, iuxta quod,

3. Barabinzi *Tatari*, cis, et trans Irtisch fluuium, tributum, ex dimidia parte, Russis atque Cantaischae praebentes.

4. Ournac, *Lornac*, mons, Oguz Cani, Scytharum Regis sedes antiqua, cum deserto *Ablacs*, in eodem Siberiae limite.

5. Bal-

5. Balkasi, *Palkasi*, *Tschoi*, lacus, ili fluuium recipiens, loco inferiore diffunditur.

6. Oronghanzi, *Vlinzi* et *Telenguti*, limitem Siberiae obsident, vsque ad Altai montem.

7. Saiffan, *Coutoughtou*, *Houhoutou*, lacus, ad Altai montis radices, Irtis fluuium recipit, emittitque.

8. Tencabatsch, *Tenchatsch*, *Tengoibatsch*, locus munitissimus, prope pilas, quas Colugam, Portam ferream nominant, ad *orientem*.

9. Ouramtchi, forsitan *Aramuth*, vel *Caracoia*, in eodem cardine.

10. Yulduz, *Cialis*, *Kiaris*, regio, soli laudatissimi, in *meridie*.

11. Incolae regionis generatim: *Kalmaki*, *Kalmuki*, et *Kalpaki*, verius, *Eleuthi* et *Mugali*, dicuntur.

II. COBY seu GOBI, DESERTVM ARENOSVM, quod et, *Xamo*, *Chamo*, atque *Lop*, tractu *orientali*, vsque in Tartariam Sinensem excurrit, hinc inde, locis cultis, interstinctum.

1. Lop, *Lop-omo*, lacus in ora superiore, toti deserto, et vrbi adsitae, nomen tribuit.

2. Sertem, *Ciartiam*, regio patens, infra lacum adperitur.

III. BVCHARIA MINOR, quae et *Turquestana ulterior*, Turcorum prima sedes, adquisitarum Cantaischae Prouinciarum prima, *occasum* respicit, cum duobus regnis.

1. Choten, *Cotan*, *Hotun*, regnum est infernum, in quo *Peim*, et veterum Chatae, *Choten*, seu Turquestan, vrbes praestantes.

2. Casgar, *Cassar*, *Cassia*, item *Hasikar*, regnum superum, cuius vrbes nobiliores, *Casgar*, et *Yarkend*, seu *Yrghend*, vel *Karcham*, commendantur.

IV.

IV. PROVINCIAE CANTAISCHAE RELIQVAE, ad Turqueſtanam citeriorem, et Vsbekiam pertinent, armis Eleuthorum, recenter quaeſitae.

1. Wask, *Wachs*, *Alwachs*, regio cum vrbe cognomine, in Cotolana Vsbekiae.

2. Bruttiorum, *Poroutiorum*, regio, ſupra priorem, in Turqueſtana.

3. Kaſatschia Horda, *Kaſaccia*, laeuam verſus, in eadem prouincia.

§. XVI.

AVSTRALIOR CANTAISCHAE IMPERII REGIO, Tartaris TIBET, *Tobat*, *Tubat*, Sinenſibus *Tsan* atque *Tsanli* dicta, ab Indoſtaniae confinio, ad Chinam, latere *auſtrali*, profertur, in REGNA II. diſtributa.

I. TIBET MINVS REGNVM, in ora ſuperiore, ad laeuam, inter *Choten* Bukariae, atque *Caſmir* Indoſtaniae, Regiones interiicitur. In quo:

1. Eskerdon: *Tibet*, cognominata, vrbs eſt primaria.

2. Tibetenſes *Tatari*, ſub poteſtate Cantaiſchae, regionis incolae ſunt.

II. TIBET MAIVS REGNVM, quibusdam, *Tanyu*, *Tangut* dictum, *Dalai Lamae ditio* eſt, in *auſtrum* reclinans, quae *Maus monte Indoſtaniae*, *India* atque *Sinenſi* Imperio intercepta, Gangem ceteraque Indiae flumina effundit, atque in REGIONES complures diſtinguitur.

1. Kalmaki *Coſchoti*, *Coſcheuti Tatari*, in proxima, ad Kalmakos Sinenſes, regione, ad *ortum* conſederunt.

2. Si-

2. Sifan, *Tufan*, *Vtsang*, regio *orientalis*, Chenſi Sinenſium confiniis, ſine vrbibus.

3. Boutan, *Bouton*, Regnum *meridionale*, ad laeuam conuertitur. Cuius nomen, a Caſimirienſibus, toti Tibet Maiori tribuitur.

4. Barantola, *Barantolla*, vrbs regni Tibetani primaria, cum arce *Boutala*, in qua Tartarorum Patriarcha, *Lama* dictus, habitat.

5. Laſa, *Laſſa*, regiunculae cognominis caput, infra.

6. Tonker, *Tonkera*, vrbs eſt ſpecioſa.

7. Tsangaprang, *Chaparangue*, quibusdam *Tibet* dicta, loco ſuperiore iacet.

8. Tibetenſes *Tatari*, iique, vrbicolae, et ſcenobii, regionem inhabitant, ſub Cantaiſchae poteſtate.

§. XVII.

Additur *vrbium* praecipuarum, in *Tataria Independente*, tabula.

1. *Metropoles* Tatariae Cantaiſchanae: *Harcas Vrga*, ſtatiua ſunt Cantaiſchae, Barantola, ſedes Lamae Tartarorum.

2. *Metropoles* Tatariae Caſpianae: *Alkariyab*, caput Turqueſtanae, *Taſckunt*, ſedes Cani Coſacorum; *Chiwa Maior*, et *Chiwa Minor*, ſtatiua ſunt Padſchahi.

§. XVIII.

Quod, ad *naturalem* Tatariae Independentis *ſtatum*, attinet:

1. Regio, in *mediterraneis* aprica, et inter arenas, quibus obducta eſt, ſolitudinis vaſtae, in *meridie*, vbi vicinas contingit regiones, in alta montium iuga conſurgit.

2. Pro-

2. Profert, pro soli habitu, ex *vegetabilibus*, gramen, lignum caeduum, cannabem, oryzam; in *animantibus*, pecus, equos inprimis idoneos ad cursuram, camelos, feras, aues siluestres, bombyces, ex iisque, pelles, lanam, sericum; in *fossilibus*, crystallum, beryllum, alabastrum, callaidem, asbestum, lapidem lazuli, ex quo, color Vltramarinus paratur.

3. Incolae vastae regionis sunt Tatari, vtplurimum hippophagi, diuersi tamen nominis. Inter quos eminent: 1. *Mugali* seu Eleuthi, qui et Kalmuki, in *Coscheutos* ac *Tibetenses* propagati. 2. *Turcomanni*. 3. *Kasacci*. 4. *Vzbeki*. 5. Vt reliqua *Tatarorum* nomina praetereamus.

4. Sermo, quo variae Tatarorum gentes vtuntur, in Tataria Cis Caspiana, *Russicus* et *Tatarico-Slauonicus*; in Tataria Trans Caspiana, *Turcomannicus*, a quo hodiernus Turcicus originem trahit, in Tataria Cantaischana, qui in omnibus Mugalis communis esse dicitur, *Kalmuco-Tanguto-Mungalicus*, in vsu est.

5. Eorum quidam, oppida et villas inhabitant, quidam, vel in sole, vel sub *tabernaculis*, apricantur, rei *pecuariae*, militari, venationi, rapinis, et interdum *negotiationi*, qua in *Persiam* vicinasque regiones, grassantur, communiter dediti.

§. XIX.

Quoad *ciuilem* Tatariae Independentis *statum*:

1. Regimen Tartariae Independentis, cum in *Imperio*, tum in *Regnis* ac *Principatibus*, potestate *despotica* administratur.

2. In regione *Mugalica*, Imperator Can-Taischa, in Coscheutos et Tibetenses, ciuilem; *Lama*, id est Pater, quem sacerdotes fani, 700. amplius annos iam compiesse populo persuadent, Summus sacrorum Antistes, sacrani, in eosdem, potestatem habet: ciuilem autem *Tipa* Administer, nomine eiusdem exercet.

3. Ceteri, in *vtraque*, cis et trans mare Caspium, *Tartaria*, Reges atque Principes, *Cani* seu *Chani* vocati, vel *Mugalorum* atque *Russorum* imperio subsunt: vel *liberi* ac *independentes*, in Hordas tamen diuisi, viuunt. Inter quos, *Padschahi* **Vsbekiae** potentissimi sunt.

4. Vires Tartariae *Independentis*, nisi in *Cantaischam* **Imperatorem**; *Padschah* Reges **magnos**, aliosque *Canos*, id est Regulos minores, diuisae essent: facile vniuersae Asiae, cumprimis Indostaniae, exitiales forent, sicut imperante Tamerlane adparuit.

5. Religio, qua Tatari numen colunt, duplex est, inter Tataros Independentes; 1. *Mahometana*, in Tataria Caspiana, partim Omari, partim Aly institu a sequitur. 2. *Pagana*, in Tartaria Cantaischana, cui Lama, de quo supra dixi, praeest, varia idola, solem etiam, lunam et stellas, colit. Quin ipse *Lama*, decussatim positis cruribus, puluinari sericeo insidens, veste auro gemmisque magnifice ornata, a populo rudi, diuino colitur honore.

6. Insigne Tartariae, *noctua* nigra, vtpote quae genti huic sacra est, in campo *aureo*, ostendit.

7. Nummorum, propter antiquam, res venales *permutandi* consuetudinem, nullus est apud Tataros *vsus*. Vices eorum supplent interdum, corallia, conchylia, moneta ex induuio arboris, vel corio facta, cui nomen Chani imprimitur.



SECTIO

SECTIO VIII.

DE TARTARIA SINENSI, *Seu* MOGOLISTANA PROPRIA.

§. I.

TARTARIA SINENSIS, quae et MOGOLISTANA PROPRIA, extrema est; in *ortu*, Tartariae inferioris, quae in austrum reclinat, regio. Nomen ex eo sortita est, quod Sinarum Imperatori, ex hac gente oriundo, obnoxia est.

§. II.

Extensa ab Altai monte, ad vsque mare, adtingit in *septentrione*, Siberiam Russiae; in *ortu*, Oceanum orientalem, et terram Yedso; quae, in *austro*, ab imperio Chinensium, muro; in *occasu*, a Tartaria Independente, Coby deserto arenoso, ac monte Altai, discriminatur. Longa circiter 400, lata plus minus 150. milliaria.

§. III.

Montium altissimi, in Mogolistana prominent:

1. Mons *Altai*, Kalmakiae Cantaischanae et Mogolistanae, in occidente, vsque ad *Coby* desertum arenosum, discriminator.
2. Mons *Chrept*, inter Russicam atque Chinensem Tartariam, limes, dextram versus, protenditur.
3. Mons *Hinkan Alin*, in eodem Tartariae Russicae limite, prope ad mare Amuricum.
4. Coby, *Chamo*, *Schamo*, item *Lop*, desertum maximum, arenosum, et vndique editum, intus, a fontibus Oxi, et Jaxartis, ad Naundam fluuium, excurrit.

§. IV.

Mare triplex, latus regionis orientale, adluit.

1. Mare *Amuricum*, seu *Pensinicum*, item *Lamicum*, in regione superiore, diffunditur.

2. Mare *Orientale minus*, oram inferiorem lambit, eamque a Iaponia separat.

3. Mare Flauum, seu *Croceum*, item *Hoang Hai* adpellatum, ex agro Sinensi, ad fines Tartariae excurrit.

§. V.

Fluuii diuersi, ex deserto arenoso, in omnes regionis plagas effluunt.

1. Argun, *Argunius*, Russicae atque Sinensis Tartariae, in ora superiore discriminator.

2. Amur, qui, et *Onon*, *Schilka*, *Sagalien Ula*, *Helongkiang*, ex finibus Siberiae, per Tunguſiorum agrum, effluit, receptisque *Tschikiri*, seu *Zia*, *Songoro*, seu Schingal, et *Onsuri*, seu Shur, amnibus, in mare Amuricum, ex aduerso insulae Sagaliae, cadit.

3. Hoang, *Croceus*, aliis, Cara Mouren, *Niger Fluvius*, latere australi, iuxta murum, in limite Sinensi, in mare Flauum manat.

§. VI.

Diuiditur; pro regionis positu, in Partes tres: Mogolistanam Orientalem, Mogolistanam Occidentalem, et Eleythorvm Kalmakorvm Terram Adqvisitam: verbo: in *Orientalem* et *Occidentalem*.

§. VII.

Eleythorvm Kalmakorvm Terra Adqvisita, Pars est *Tartariae Independentis*, in tractu occiduo, a radicibus montis Altai, ad Chinae limitem prolata, et Regionibvs distincta II. quam Sinenses, Cantaischae eripuerunt.

I. GA

I. GALDANO REGIO SVPERIOR, Altai monti subiecta, in desertum arenosum desinit.

1. Altai *montis* iuga, eiusque pylae, *Algowey* dictae, per septentrionale regionis confinium, protrahuntur.

2. Tourfan, *Turfan*, prope ad pylas iacens, ex vetere Tartarorum historia, celebris est.

3. Hami, *Camil*, vrbium praecipuarum, quae, per deditionem vltro in Sinensium potestatem transierant, prima, ad dextram.

II. KOKONOR REGIO INFERIOR, inferius, ad Sinensium fines exit.

1. Koko, *Koko-nor*, Sinensibus, *Si-tai*, id est, mare Occidentale, lacus est, supra fontes Hoang amnis, diffusus.

2. Kokonorienses *Tatari*, qui regionem accolunt, ex Eleuthis orti sunt.

§. VIII.

MOGOLISTANA OCCIDENTALIS, quae et PROPRIA, Tataris, *Mongkoux*, *Mugalia*, Sinensibus, *Si-ta-tse*, et *Tsato-tse*, cognominata, Terra est *Mugalorum occidentalium*, inter Siberiam, atque Chinam, a monte Altai ad Solones atque murum Sinensium, protracta, et REGIONIBVS II. diuisa.

I. MVGALIA OCCIDENTALIS, Siberiae, in Kalkanensium agro, subiecta, recenter, in clientelam Sinensium dedita est.

1. Kosso, *Kosso-gol*, lacus, in septentrionali regionis limite, infra Jakutiam Siberiae.

2. Vrga Contouctou Lamae, *Statiua Dali Lamae*, ad dextram, in Mugalis Kalkasiis.

3. Cara Moran, *Holin*, vrbs vetus, ad lacum, *Cara Coulon Nor*, in *ortu*, in Solanum collimitio.

4. Paras, *Tygris*, vrbs in ruinis iacens, infra est, in eadem plaga.

5. Kalkas, *Kalkanenses*, regionis accolae, tribus parent Principibus, Sinarum Imperatori subiectis.

II. MVGALIA ORIENTALIS, a Solonensium collimitio, ad murum Sinensem, diuergit.

1. Cortchin, *Cortschin* regio, suprema est, ad *ortum*, in Solonensium finibus.

2. Naymann, *Naimannorum*, ex quibus Zingis Cham, regio ac tribus celeberrima, priori subest, cum *Parin*, et *Burgankoton*, vrbibus, in eodem cardine.

3. Cartchin, *Cortschin*, regio, inde, in *austrum*, versus murum Sinensem flectitur, cum *Karakoton*, siue *Kara-Hotun*, arce, quo Sinarum Imperatores venationis caussa, identidem diuertere assolent.

4. Toumet, *Tumet*, regio, in eadam ora, trans murum.

5. Ortos, *Tatarorum* regio, maxime *meridionalis* est, in exteriori muri Sinensis latere.

6. Ourat, *Ourata*, inde, ad Lop, desertum arenosum, adsurgit.

§. IX.

MOGOLISTANA ORIENTALIS, Tataris, *Mantscheux*, *Mugalia*, Sinensibus, *Ta-se*, adpellata, a Mogolistanae *occidentalis* limite, vsque ad mare Orientale, inter Siberiam atque Coream peninsulam, procurrit, in PRAEFECTVRAS III. distributa.

I. TSCHI-

I. TSCHITSCHIGAR, TCITICAR, PRAEFECTVRA, in ora occidua, et septentrionali, cis et trans Amur fluuium, Regiones duas continet.

1. Dauria, *Daour*, regio ad occidentem cis Amurum conuersa, *Solones* et *Targusinos* populos habet, cum *Amurskoy*, seu *Sagalien Oula*, et *Teitcicar*, vrbibus primariis; illa vnionibus, haec munitione memoranda;

2. Tungusia, Sinis *Orotchonia* regio, trans Amurum, ad aquilonem patens, *Tungusios*, Sinis *Orochton* dictos, populos alit, in quibus *Yacsa* seu *Albassinska*, et *Oulous Sou Moudan*, extrema contra Russos propugnacula.

II. KIRIN PRAEFECTVRA, *Nimgouta*, veteribus, *Kin Kintchen*, item *Niuche*, *Niucke*, et *Mantsensis* regio dicta, orientem occupauit. In qua:

1. Ketscheng Ta se, *Ditio supera*, ad ostia Amur, cuius populi, *Kiliaki*, in aquilonari; *Ketscheng*, qui et *Fiatta*, in australi fluminis ripa.

2. Yupi, Ta se, *Ditio media*, Tatarorum huius nominis patria, cum *Niman* pago.

3. Kirin, *Ditio infima*, in qua, *Ilan Hala*, Prouincia, in superiore Songar amnis ripa; *Petuna*, *Nimgouta*, seu *Kirin-Ula*, vrbes; *Bogdoi* autem, seu *Dutchari* populi.

III. CHINYANG, seu QVANTONG, item LEATONG, PRAEFECTVRA, in *meridie*, ad Chinam, extra murum extrema. Vbi:

1. Chyng-Yang, seu *Mougden*, vrbs primaria, sepulcra aui et proaui Camhil Regis conseruat.

2. Inden, *Indena*, sepulcro tritaui Regis Camhil nobilis, ad dextram.

3. Fong-Hoang-Tching, *Fong-Hoang*, vrbs magna et populosa, in qua erioxyloni papyrus conficitur.

IV. COREA PENINSVLA, *Solgo Korun*, *Chao Sien*, Orientali atque Flauo maribus coarctatur, cum oppidis paucis.

1. Kiangiven, *Kinghing*, vrbs magna, et emporio clara, supra, ad sinum Kingxan, sita est.

2. Hoang, *Hanghai*, *Corea*, vrbs praestans, infra, in aduerso Hoang maris litore.

3. Kinghi, *Kinkitao*, vrbs admodum magna et frequens, in medio peninsulae.

4. Chungking, *Yantcheu*, munimentum, insigne, in tractu meridionali.

§. X.

Adnectatur, *vrbium* praecipuarum, tabula.

1. *Metropoles: Hami* seu *Camil*, Eleuthorum Terrae Adquisitae; *Urga Contouctou*, Mogolistaniae Occidentalis; *Chyniang*, Mogolistaniae Orientalis; *Kinghi*, Coreae.

2. *Sedes* Antistitis Lamae, *Urga Contouctou Lamae*.

§. XI.

Quod, ad *naturalem* Tartariae Sinensis *statum*, adtinet:

1. Regio Tartariae Sinensis, *eiusdem* cum Independente *positus*, muro ingentis magnitudinis, a *China* seclu-ditur, et in *vastas* distinguitur *solitudines*; inter quas, *Lop*, *Coby*, seu *Chamo* desertum arenosum, longum amplius 300. milliaria, latum 30. circiter, et Mugaliae Orientalis *solitudo*, ad *murum*, latissime exten-ditur.

2. Inter res *naturales*, quas Sinensis, cum Independente Tartaria habet, communes, herba Ging-seng, virtute singulari, cumprimis excellit.

3. Gentes, quae in vasta sedent regione, *Tatari* vocantur. Eorum nobilissimi sunt: *Mungali orientales* et

et *occidentales*, quos Sinenſes, *Ta ſe*, et *Si ta ſe*, adpellant. Ad quos, quidam *Tatari Eleuthi*, armis deuicti adceſſerunt.

4. Viuunt, reliquorum Tatarorum more, ex *re pecuaria*, venatione, militia, *negotiatione*; quae tamen, a *Ruſſis* atque *Sinenſibus*, multo maiore promouetur induſtria.

§. XII.

Quoad, *ciuilem* Tartariae Sinenſis, *ſtatum*:

1. Tartaria *Chinenſis*, cum *Sinenſium* coniuncta imperio, *ſumma* Imperatoris *poteſtate*, regitur. Qui, quamuis in China, *ſedem* imperii habet: ſtatuto tamen tempore, ad *Tataros*, ex quibus *ortus* eſt, accedere ſolet. Ex quo fit, vt *Magnus* Tartariae *Chanus* adpelletur.

2. Adminiſtratur regio vaſta, ſicuti reliquae Sinenſis Imperii Prouinciae, per Proreges atque Praetores, Imperatoris Sinenſium nomine.

3. Prouentus regius, ex *vectigalibus*, et rerum, quas tellus fert, *tributo*, congeritur.

4. Vires *Tatarorum*, coniunctae cum *Sinenſibus*, admodum magnae ſunt. Illi namque ſoli, et pro *muro*, diuiſis, inter portas ac propugnacula, *centum millibus*, et pro vtroque *regno*, aduerſus Tataros Independentes Indosque, excubant conſtanter.

5. Religio *Pagana*, qua numen aliquod, inter Tataros Sinenſes, colitur, in duas ſcinditur ſectas. 1. *Nonnulli*, Lamae Mugalorum, non obſequuntur. 2. *Reliqui*, Lamae Mugalorum, cum Tibetenſibus et Kalmakis, addicti ſunt. Quorum quidam, *Lamam Poutalenſem*; alii, *Lamam Vbenenſem*, ſeu Contouchta Lamam, Summum in ſacris agnoſcunt *Antitiſtem*. 3. Quidam eorum, cumprimis *Yupi Tatari*, nullam religionem habere dicuntur.

6. Literarum *ſtudia*, nonnulli Tatarorum, non minus *Imperatoris*, quam *Sinenſium* iuducti exemplo, colunt.

7. Insignium loco, *Noctua nigra*, in campo aureo, coniunctim cum Sinensium *Dracone*, pingitur.

8. Nummorum, propter *permutationem rerum*, nullum, saltim *vile*, apud Tataros Sinenses, *pretium* est.

SECTIO IX.

DE

CHINA SEV SINA.

§. I.

IMPERIVM CHINENSE, alias SINENSE, seruato nomine antiquo, extremam in oriente Asiae oram insedit, clauditque cum Tartaria, continentis latus orientale.

§. II.

Adtingit, finibus suis, a *septentrione*, Tartariam, a qua, stupendae longitudinis muro seiungitur; ab *ortu* et *austro*, Oceanum; ab *occasu*, Indiam extra Gangem, eiusque Regna. Latum est 300. milliaria, longum totidem.

§. III.

Oceanus *Orientalis*, a regione, quam latere ortiuo adluit, *Chinensis* dictus, in diuersos sinus exit. Quorum,

1. *Mare Cang*, in regione supera; et qui,

2. Hoang atque *Kiang*, flumina recipit, illustriores sunt.

§. IV.

Flumina duo, regionem mediam interluunt, caduntque iunctim, in eundem Oceani sinum.

1. Fluuius *Hoang*, latine *Croceus*, a colore, quem habet, sic dictus, ex Tartariae montibus prolapsus, per agrum superum, lentus defluit.

2. Am-

2. Amnis *Kiang*, latine *Caeruleus*, ab specie vndarum ita adpellatus, in finibus Indiae ortus, regionem mediam interluit, *Canali regio*, cum australi Oceani pelago, copulatus.

§. V.

Coniuncta hodie, cum Tartaria, generatim, in CHINAM, et TARTARIAM CHINENSEM; speciatim, in REGNA seu PROVINCIAS XVIII. diuiditur. E quibus, *tres*, medium, orientem, atque insulas; *tres*, septentrionem, meridiem, et occidentes, occupant.

§. VI.

PROVINCIAE III. in *medio* sitae sunt, isto ordine:

I. HONAN PROVINCIA, *Tong-hoa*, situs multo amoenissimi, Hoang atque Kiang amnibus concluditur.

1. Calfung, seu *Schaifung*, vrbs perampla, et quondam regia, Hoang amni subest.

2. Honan, *Honania*, a qua prouincia denominatur, et ipsa magna.

3. Quinte, *Quinta*, vrbs ampla, atque mercatu incluta.

II. HVQVANG PROVINCIA, *Hou-Quang* Kiang amne interluitur, fertilissima omnium, et maxima. Eius sunt:

1. Siangiang, *Kin-tcheou*, *Siangianga*, mercatu nobilitata, supra flumen iacet.

2. Ukang, *Hou-tchang Ukanga*, prouinciae prima, et magnitudine, atque emporio eximia, in eodem tractu.

3. Hanyang, *Hanianga*, emporio adaeque aucta, infra amnem est.

III. KIANGSI PROVINCIA, ad canalem, in *mediterranea* diuergit, vasis Chinensibus (Porcellain) celebrata. Vbi:

1. Kieang, *Kieganga*, in sinistro canalis latere posita est.

2. Nan-

2. Nanchang, *Nan-tchang, Nangang*, caput prouinciae, magnitudinis mediocris, loco inferiore.

§. VII.

PROVINCIAE III. regionem *aquilonarem*, inter murum et Hoangam fluuium, occupant.

I. XANSI PROVINCIA, gemmifera, a flumine ad murum, latere finistro, procurrit. Cuius finibus comprehenduntur:

1. Pingyang, *Pingianum*, oppidum magnum et opulentum, in dextro amnis Hoangae tractu.

2. Taiguen, *Taiquen*, *Tai-Yvan*, vrbs ingenti magnitudine, moenibus, et valido praesidio contra Tartaros communita, loco superiore.

3. Paose, *Paote*, vrbs, emporio et Chinensium vasis fictilibus, nobilis.

4. Taitung, *Taitunga*, vrbs frequens, et commerciis clara, a reliquis ad murum abducta.

II. PECKING PROVINCIA, Pe-tche-li, Chinae praecipua, inter murum, et sinum Cangiensem, ad dextram prorogatur.

1. Paoding, *Paotinga*, oppidum non paruum, sede Prorегis, et mercatorum negotiatione haud ignobile, infra murum.

2. Pecking, *Xuntien*, *Cambalu*, *Pechinum*, vrbs imperii princeps, sex milliaria in circumferentia laxa, crassissimis moenibus cincta, palatio Imperatoris stupendae magnitudinis splendorisque, trium millionum incolarum numero, et sede omnium tribunalium illustris.

3. Leaotung, *Leaton*, in peninsula, quam duo sinus faciunt, retrusa iacet.

III. XANTVNG PROVINCIA, praedonibus famosa, ad mare vergit, Hoang flumine terminata. In cuius ditione sunt:

1. Tun-

1. Tunchang, seu *Tunking*, oppidum mediocre, in mediterraneis.

2. Cinan, *Cinania*, Prouinciae prima, et mercatu vitrique optimi officinis, cognita, versus mare.

3. Luchai, aliis *Teng-tcheov*, portus, et munitio insignis, in ora maritima.]

§. VIII.

Provinciae III. per *orientalem* regni cardinem, patent.

I. NANCHING PROVINCIA, caeteris cultior, infra Changi atque Kiangi confluentem. In qua:

1. Nanchin, *Nanquin*, *Nanking*, vrbs orbis terrarum maxima, quippe cuius ambitus viginti milliaria complectitur, cincta muro duplici, vetere Imperatoris sede, multis palatiis, turri ex vasis fictilibus Sinensium miro artificio confecta, apud quam fanum, in quo XM. deorum simulacra visuntur, stat, bibliothecis, collegiis eruditorum virorum, et mercatu, ante caeteras memorabilis, ad Kiangi ostia.

2. Kinkiang, *Chinkiang*, vrbs maritima, et opibus adfluens.

3. Sucheu, et *Yang-tcheov*, vrbes duae, rerum commerciis celebratissimae. Harum posterior duos milliones colonorum, et venustissima forma mulieres habere dicitur.

II. CHEKIANG PROVINCIA, in eodem litorali tractu, propter amoenitatem loci, Deorum hortus adpellata.

1. Quangsiu, *Quansin*, oppidum, quaestu rerum nobile.

2. Hancheu, vrbs ampla, et splendida, Pechino suppar, pontibus supra varios aquae ductus, magnifico opere factis, emporio, et templis Christianorum insignis.

III. FOKIEN PROVINCIA, eadem ora maritima, in *meridiem* procurrit, numeratque 48. oppida, vrbes 8. in his:

1. Kien-

1. Kienning, *Kienninga*, munitio valida, prope ad canalem.

2. Fochen, *Foquin*, *Fov-tcheov*, Proregis sedes, commerciis Europaeorum et ponte clara, in maritimis.

§. IX.

Provinciae III. ad *austrum*, situ suo, inclinant.

I. QVANTVNG PROVINCIA, *Quang-tong*, canali regio diuiditur, gemmarum, auri, eboris, et xylocinnamomi, ferax. Iacent hic:

1. Cancheu, *Quang-tcheov*, vrbs praecipua, vtpote quae ad millies mille sessores habet, a fictilibus Chinensium vasis, et Europaeorum commerciis, ac portu nobilis, ad mare.

2. Xaocheu, *Xachea*, oppidum, structurae mediocris, cis canalem regium.

II. QVANGSI PROVINCIA, cis canalem, panditur, oryza, casia, rhinocerotibus, et pistacis cumprimis nota. Numerat 99. oppida, vrbes 11. inter has:

1. Qveiling, *Quelinum*, vrbs primaria, atramento Chinensi, quod ex lapide praeparatur, celebris.

2. Pinglo, *Pingolum*, oppidum, mercium adpulsu nobile.

III. IVNNAN PROVINCIA, ad laeuam protenditur. Cuius,

1. Tchinkiang, *Chinkianga*, oppidum situs opportuni.

2. Iunna, *Iunna*, oppidum agri fertilitate praestans.

§. X.

Provinciae III. latus *occidentale*, vsque ad Tartariae limitem, claudunt.

I. KOI-THEOV PROVINCIA, ab *austro* adsurgit, in *occasum*, caeteris minor, et saltibus impeditior. Eius sunt:

1. Quei-

1. Queiang, *Koci-chang.* Vrbs mediocris, culta tamen.

2. Ganxun, *Ganxunum*, vrbs fecunda, mercibus promouendis opportuna.

II. SE-TGHVEN PROVINCIA, positu superiore gaudet. Vbi:

1. Tchingtuo, *Chingtunum*, primum, inter reliqua oppida, locum tenet, et mercatura excellit.

2. Long-gan, *Lugganum*, vrbs mercatorum tabernis clara.

III. XIENSI PROVINCIA, in Tartariae limite extrema. Cuius sunt:

1. Hanchang, *Hanchanga*, inter vrbes magnas, propter amplitudinem refertur.

2. Siganfu, *Siganfu*, vrbs haud exilis, illustrisque emporio, ad amnem Guei.

3. Hingang, et *Lyniao*, vrbes duae, populi et mercaturae frequentia nobilitatae.

§. XI.

INSVLAE CHINENSES III. latus regionis orientale ambiunt.

I. FORMOSA INSVLA, sacharo, cinnamo, oryza, et variis abundat aromatibus, primum Portugallorum et Belgarum, postea, anno 1662. per Coxinium Piratam, iuribus Chinensium adserta. In qua:

Zeeland, *Selandia noua*, castellum constructum a Batauis.

II. MACAO INSVLA, exilis, atque sterilis, ad Portugallos pertinet, cum vrbe cognomine, portu instructa.

III. HAYNAN INSVLA, Indiae trans Gangem, et regno Tunkingiano adpositа, auro, marmore sacharo, et herba nicotiana, abundat. Vbi:

1. Canga, *Canga*, metropolis est insulae.

§. XII.

§. XII.

Adiiciatur, *vrbium* praecipuarum, in *China*, tabula.

1. *Episcopatus* Christianorum, Ecclesiae Occidentalis, vnus est: *Macaonensis*, in Chinensium insulis.

2. *Academia* Chinensium, vna est, in vrbe *Pecking*, in qua, honores Baccalaurei Licentiati atque Doctoris, viris literatis, conferuntur.

3. *Metropoles* et Pecking, Nanchin.

4. *Portus:* Cinan, Teng-tcheov, Nanchin, Kinkian, Focheu, Cancheu, et Macao.

§. XIII.

Quod, ad statum *naturalem* atque *ciuilem*, adtinet:

1. Regio *Chinensis*, *muro* ingentis magnitudinis, a Tartaria seiuncta, per coeli solique temperiem, et *salubris* est, et *foecunda*. Bis intra vnius anni spatium, optimos fructus ferre solet, natura et arte ad id praeparata. In cuius limite boreali, *murus* siliceus, 45. pedes *altus*, 20. *latus*, et interuallo 100. passuum, *turribus* innumeris confirmatus, per 250. *milliaria Germanica* protenditur, et praesidio, millies mille armatorum custoditur, quem anno 215. ante Christi natiuitatem, struere coeperunt, et intra XV. annos ad finem perduxerunt, a Tamerlane primum anno 1397. transcensus.

2. Ager eius, non minus rerum, quam animalium diuersitate, scatet. Et quidem, inter *vegetabilia*, frumento, leguminibus, oryza, lino, vitibus, floribus, herbis salutaribus, herba Dei seu thee, rhabarbaro, chinachinae radice, arundine, ambra, aromatibus, gossypio, ligno nobili, quod *Adlerholti* vocatur, et diuersis arborum fructibus; inter *animalia*, pecore, elephantibus, rhinocerotibus, tigridibus, satyris, simiis, zibethis, ex quorum testiculis, odores zibethi excinduntur, bombycibus atque serico; inter *fossilia*, auro, argento, cupro, stanno, ferro, chalybe, plumbo, mercu-

mercurio, antimonio, cinnabari, vitriolo, terra porcellana, rubinis, saphiris, topaziis, achate, haematite, iaspide, chrystallo, oculis felineis, gemmis, vnionibus, magnete, rubro et albo marmore, lapide lydio, sale, fossilique carbone. *Ars* praeparat, linum xilinum, ac bombycinum, sacharum, et vasa porcellana, murrhinis veterum poculis similia.

3. Incolae Chinenses, lata facie, oculis paruis, colore albo, nigri capillis, quibus Tatari intermixti sunt; non minus *antiquitate* ac *multitudine*, quam *cultu*, *humanitate*, *industria*, atque *artibus scientiisque*, reliquos Asiae populos, superant; alioquin, ad voluptatem et polygamiam, Asiaticorum more, maxime propensi. Numerantur inter eos, *septuaginta* hominum *milliones*: quorum pars vna, litteris et militiae; altera, artibus et negotiationi; tertia, rei rusticae, studet. Inde saepe factum est, vt, dum Europaei mercatores, in vrbem Chinae venerint, die professo, nundinas fieri existimarent.

4. Sermo *Chinensis*, quem incolae *cantillando* pronuntiant, alius est *vulgaris*, inter ciues; alius *aulicus*, in aula Imperatoris. In tabulis deorsum versus scribitur. Ad quem, post occupatam a Tataris Chinam, *Tataricus* quoque adcessit.

§. XIV.

Quod, ad *ciuilem* Chinae *statum*, pertinet:

1. Regimen *Chinensis Imperii*, ad formam *monarchicam* compositum, Imperatori, quem *Thienu*, seu *Tanjou*, id est, filium coeli et orbis terrarum Dominum appellant, *iure* debetur *hereditario*. Succedunt in eo, *Imperatores* gente *Tatari*, qui anno 1645. Chinam, virtute *Xunchii*, occuparunt.

2. Administratur illud, auctoritate imperatoria, a *Prorege bus* et *Administris*, iisque *Philosophis*, quos vulgus *Mandarinos* nominat, per sex *Status*, *Aerarii*,

Curiae imperatoriae, *Militiae*, *Aedilitatis* ac *Iustitiae*, collegia.

3. Reditus Imperatoris annuus, ex *tributo*, *vectigalibus*, *rerumque commerciis*, ad *tercentenos* argenti signati *milliones*, extenditur, ex quo, in aerarium Imperatoris, plus minus CXX. milliones redeunt.

4. Vires *Chinenſium*, quamuis, et pro populi, et pro reditus publici magnitudine, ingentes ſint: facile tamen eae frangerentur; niſi *fortitudine* ſuſtentarentur *Tatarorum*. Pacis tempore, pro muro, in limite Tartariae, *millies* militum *millia*, excubant: *totidemque*, in regno, ſecus belli tempore, ex XXV. millionibus ad arma paratis viris, facile maximi exercitus conduci poterunt.

5. Religio *Pagana*, qua Chinenſes, vnum eumque inuiſibilem Deum, ad normam legum naturalium, at non ſine magna ſuperſtitione, colunt, in *tres* praecipuas *Sectas*, ſcinditur. Quarum *prima*, auctore Confucio, perfectionem hominis, quem tamen, poſt mortem, cum anima docet interire, vrget; *ſecunda*, animae immortalitatem, coniunctim cum transmigratione, ſtatuit, auctore *Foe*, ſeu *Fe*, magno inter ſuos philoſopho; *tertia*, ſecundum *Lanzu*, ſeu *Canzu* doctrinam, voluptatem pro ſummo bono habet, deos corpore praeditos, et artem magicam, diuinam eſſe adfirmat. Tres hi ſectarum auctores, ab ignara poſteritate, deorum in numerum relati ſunt.

6. Religio *Chriſtiana*, *Romano-Catholica*, anno 1618. ardore *Societatis Ieſu*, in Chinam inuecta, et praeterea, *Dominicanorum* ac *Franciſcanorum* induſtria, propagatur. Quae vbi, publico Imperatoris *edicto*, anno 1692. confirmata iam fuerat: propter *ſubortas* inter Chriſtianos *lites*, iterum conceſſa, priuata eſt libertate. Perulgata eſt Chinenſis vexatio.

7. Litterarum ſtudiis, nusquam in Aſia, maius ſtatutum eſt pretium. 1. Praeterquam enim, quod *Bramini*, vete-

veterum *Brachmanum* posteri, sedulo ea propagant: omnes etiam, qui *publicis* in China *honoribus* ornari volunt, iisdem deditos esse oportet. 2. Student ii, *Philosophiae*, secundum principia Confucii, et praeterea, *Medicinae*, atque *Matheſi*, quam eruditi S. Iesu, mirifice, *Verbieſto* atque *Pereyra* P. P. praeeuntibus, auxerunt. 3. *Figurae* litterarum, inter Chinenses, notaeque, quas linea perpendiculari, a capite, ad calcem chartae, exarare solent, totidem sunt, quot res rerumque notiones. E quibus, homines plebeii, 60000.; viri docti, 80000. summe eruditi, 120000., memoriae coguntur imprimere.

8. Insigne Chinense cum Tartarico coniunctum est. *Chinae* nomine, pingitur *Draco* vngulatus, cum quinque brancis velut, signum maximae felicitatis; vel quinque *Maurorum capita*, in campo argenteo. Pro *Tartaria*, noctua nigra, in campo aureo, additur. Color *flauus*, regalis est; isque, soli Imperatori, et in paludamento, et in palatio, proprius.

9. Nummi Chinenſium, quorum in solo regno vsus, cuprei sunt. Eorum *decem*, vnum Gallorum *Sou*; decem autem Sou, decimam *Thaleri* partem, exaequant. Alioquin, in rerum commerciis, *aurum* et *argentum* rude, cum *permutatione*, adhiberi solet.

SECTIO X.

DE

IAPONIA.

§. I.

Vltimum, Insvlae Indiae, partim Maiores, partim Minores, in Oceano Orientali dispersae, ordine suo sequuntur, diuersissime a multis descriptae.

§. II.

IAPONIA, *Iapan*, indigenis, *Niphon* vocata, omnium

est maxima, quae, cum *Xikoko*, atque *Ximo*, insulis, coniuncta, formam Imperii accepit, in extremum retrusa *orientem*, longa 200. milliaria, lata, vbi maxima est, 70. Oppida in ea numerantur circiter 13000, vici 909858.

§. III.

Isthmo angusto, cum Terra Yedso, in septentrione cohaerens, *Mari Iaponico*, ex omni latere, circumfunditur; quod, in ortu, *Orientale*, *Occidentale*, in occasu, dicitur. Caeterum copia metallorum abundat.

§. IV.

Diuiditur, tribus INSVLIS MAIORIBVS, et viginti quatuor MINORIBVS; generatim, in REGIONES VII.; speciatim, in PROVINCIAS LXVI. Imperatori, nomine fiduciario subiectas. E quibus vrbes praecipuas enumerasse iuuabit.

§. V.

NIPHON, seu *Iapan*, insula, reliquarum maxima, in REGIONES V. distinguitur. Quarum vrbes illustriores sunt:

1. Yeddo, *Yedo* et *Yendo*, vrbs imperii maxima et princeps, longa tria milliaria, duo lata, sede Imperatoris magnifica, vtpote cuius tectum et praecipuae columnae aureae sunt, gynaeceo, aliisque palatiis splendida.

2. Suarunga, *Sarunga*, vrbs secunda, educando Principi iuuentutis destinata, in eadem ora.

3. Sacay, *Sacaa*, vrbs magna, cum portu, ad exceſſum maris, in mediterraneis, laeuam versus reclinat.

4. Osacka, *Osatska*, vrbs, montibus septa, delubro, daemon vbi colitur, infamis. Distat dimidio ab hinc milliari, regia imperatoris, amplior tribus parasangis, vallo 390. pedes lato, alto 33. vlnas, circumdata, in qua ingens gaza sex fornicibus conseruatur.

5. Nan-

5. Nangato, *Nagata*, maritima est, maximeque *australis*.

6. Meaco, *Meaca*, vrbs longa sex milliarium; lata fere totidem, Dairo Iaponum Sacerdoti summo, sedem magnificam concedit, *occasum* versus reducta.

7. Facusingin, *Facusangina*, oppidum, Academia Iaponensium illustre, non est relatum in tabulas.

§. VI.

Insvlae Mediocres II. in *austrum* declinant; Minores, pelago, ex latere vtroque abluuntur.

I. XICOCO INSVLA, *Xicoc*, Iaponiae subiacet vbi:

1. Ava, *Aua*, vrbs primaria, in *medio* insulae iacet.

2. Samaqui, *Hyo*, *Tonsa*, non sunt notatae in tabulis.

II. XIMO INSVLA, quae et *Bongo*, situ inferiore, pelago concluditur. In qua:

1. Nangasachi, *Nangazachi*, oppidum laxum, terrae motui subiectum, in regno Fissen, adcessum, mercatus caussa, Hollandis concedit.

2. Anima, *Cocora*, non habentur in tabulis.

III. MINORES INSVLAE XXIV. regionem, ex triplici ambiunt latere. Quarum notiores sunt:

1. Motouxima, *Tay* et *Ynoxima*, ad *ortum*.

2. Tanaxima, *Tanegaxima*, in dextro, et *Firanda*, Batauorum, commerciis clara, in sinistro latere, *australes*.

3. Ochi, *Oqui*, et Sanma seu *Sanda*, in *occasu*.

§. VII.

Inseritur, vrbium praecipuarum, in *Iaponia*, tabula.

1. *Episcopatus* Christianorum, Ecclesiae Occidentalis, vnus erat, *Nangazachienſis*, iam tamen persecutione Iaponensi sublatus.

2. *Academiis* Iaponenſium; vrbs *Fakuſangin*, adnumeratur.

3. *Metropoles*: Yeddo, Oſacka et Sarunga, *regiae* Imperatoris; Mecao, *ſedes* Summi Sacrorum Antiſtitis.

4. *Portus*: Sacay, Nangaſachi, Tanaxima.

§. VIII.

Quod, ad *naturalem* Iaponiae *ſtatum*, adtinet.

1. Regio Iaponum, a continente Aſiae *abducta*, et vndique *incincta* pelago, ſalubri equidem coeli temperie grata eſt: frigori tamen et niuibus obnoxia, et propterea, non aeque ac China, frugifera.

2. Res, quas tellus fert, in *vegetabilibus* ſunt: frumentum, oryza, milium, cedrus, palma, arbores fructiferae; in *animantibus*, pecus, equi, apri, cerui, ferae, phaſiani, piſcesque diuerſi generis; in *mineralibus*, aurum, argentum, ſtannum, ferrum, totius Aſiae nobiliſſimum, plumbum, mercurius, ſulphur, cinnabaris, carbo foſſilis, et margaritae coloris purpurei.

3. Incolae Iaponiae, ex Sinenſium orti genere, *ingenio* et *memoria* excellunt, ſingularibus praediti *moribus*. Veſte ſericea plerique omnes vtuntur. Carnem bubulam, venenatamque, non alias, ac Europaei, caninam abhorrent. Vitae mirum in modum prodigi. Apud quos, de caetero, adulteria et ſcorta, feminis, ſub poena capitis prohibentur: in viris, contra ea, cum *polygamia*, tolerantur.

4. Lingua *Iaponenſium*, in multis, adfinitatem cum Chinenſi, et ſignificatione, et ſcribendi characteribus, prodit; ita nihilominus comparata, vt diuerſe pronunciata, plurima ſignificet. Sermo *Bontziorum*, ſeu Sacerdotum, quo ſacris operantur, vna cum characteribus, diuerſus eſt, a vulgari.

5. Stu-

5. Student Iaponenſes, *litteris*, militiae, *artibus*, agriculturae, et *negotiationi*: quam olim, per *Indiam orientalem*, cum *variis nationibus* habebant; nunc, quia e finibus regni egredi prohibentur, domi, cum ſolis *Hollandis*, promouent.

§. IX.

Quoad *ciuilem*, Imperii Iaponici *ſtatum*:

1. Regimen Iaponiae, inter *Imperatorem* et Summum ſacrorum *Antiſtitem*, diuiſum, in *ſacrum* atque *ciuile*, diſtinguitur.

2. *Sacrum* imperii *regimen*, poſt annum 1550. Summo ſacrorum Antiſtiti, quem *Dairo* adpellant, conceſſum eſt. Quem etſi fero homini, quod et veſtitu humili vtitur, et capillos, vngues, et barbam promiſſam alit, quam principi ſimilior; *Imperator*, propter *acceptum* imperii *beneficium*, non ſolum *donis* ornare, verum, quolibet anno ſexto, etiam, honoris cauſſa, ſolet conuenire.

3. *Ciuile* imperii *regimen*, Imperatori, quem *Cube* vocant, relictum eſt. Qui, quamuis imperium a *Dairo* Antiſtitum Principe, beneficii nomine accipiat: *ſummam*, nihilominus, *poteſtatem*, in rebus ciuilibus bellicisque, tenet; eamque, in *Reges* amplius viginti, abſoluta exercet auctoritate.

4. Adminiſtratur Imperium, in rebus ciuilibus, Adminiſtrorum, quos *Mandarinos* vocant, prouidentia. Quorum, cum in reipublicae *procuratione*, tum in ferendis *iudiciis*, rata ſanctaque eſt ſententia. Qua vt plurimum, non ſolum ipſi ſceleris auctores, ſed propinqui etiam eorum, poenam morte luere coguntur.

5. Populus *Iaponenſis*, in quinque *Ordines* diſtinguitur. In *primo* ordine, locum habent Proceres, *Tones* vocati; in *ſecundo*, Sacerdotes, *Bonzii* dicti; in *tertio*, Milites atque Nobiles; in *quarto*, Mercatores et opifices; in *quinto*, Agricolae.

6. Reditus *publici*, qui, ex tributo, vectigalibus, donis, metallis, aliisque emolumentis, fere ad 283. milliones, congeritur quotannis, *pars tertia*, in vsus publicos conuertitur: *duae* autem eius *partes* residuae, in *aerarium Imperatoris*, reconduntur.

7. Prouentus sacri, qui in *aerarium* Summi sacrorum *Antistitis* influunt, ex donariis Imperatoris, tributo Sacerdotum, et titulorum ac dignitatum venditione, colliguntur.

8. Vires *Imperii*, *Imperatoris* et *Regulorum* copiis delectae, in 268000. peditibus, 38000. equitibus, et 2000. nauigiis bellicis, consistunt.

9. Religio Iaponensium *Pagana*, in *duodecim* diuisa sectas, cum *Sinensium* cultu, quodammodo congruit. Eorum praecipua numina sunt, *Amida*, *Xaca* (hic Amidae dei cultum primus Iappones docuit) in quorum honorem, diis praeterea plurimis, innumera, eaque *magnifica* construuntur *fana*. Quin daemonibus ipsis, ne sibi noceant, delubra ponunt. Summus sacrorum Antistes, *Dairo* vocatur, apud quem, ex penatibus 365. vnus qualibet nocte excubias agit, qui, si qua res aduersa, homini, quem vulgus pro deo colit, accidat, male vapulat. *Bonzii* Sacerdotes, iique caelibes, sacris operantur, qui confessionem criminum, a suis, bilanci de rupe altissima pendenti impositis, poena deiectionis in noxios statuta, extorquent.

10. Religio *Christiana*, anno 1549. ardore, *S. Francisci Xauerii* S. I. cum *Portugallorum* negotiatione, in Iaponiam inuecta, et per *tredecim* eiusdem *regna*, a Societate Iesu propagata, anno 1596. iam 600000. Christianorum sinu suo continebat. Qui tamen, ab anno 1614. ad annum 1640. vbi spes haud dubia Imperatorem quoque conuertendi, adfulserat, *Bonziorum* instinctu, partim inauditis cruciatibus *excarnificati*; partim e regno, vna cum Portugallis, *eliminati* sunt. In quorum locum, *Hollandi*, absque tamen nominis Christiani mentione, promouendorum commerciorum caussa, admissi sunt.

11.

11. Litteras, ciues Iaponiae, *Sinensium* exemplo, mirifice *amant*, cumprimis *Eloquentiam*, Poesim, Historiam, *Arithmeticam*, et *Astronomiam*. Quarum pertractandarum caussa, diuersae, in regno, *scholae* institutae sunt. Vna cum Sinis gloriantur Typographiae inuentione.

12. Insigne Iaponiae, sex *stellae* argenteae, in campo *aureo*, indicant.

13. Nummi Iaponensium, ex *auro*, *argento*, et *cupro* cusi, diuersi numerantur moduli. *Aurei* et *argentei* nummi, 5. 10. 20. 50. florenos, valore suo aequant. Inter quos, *Cockii* fl. 10. maxime noti sunt. Nummi *cuprei*, diuersi valoris, *Cassii* dicuntur. Priores, plerumque, in *farcinulas* colliguntur, in quas, ex *aureis* 2000.; ex *argenteis* 3000. floreni, absque vlla tamen combinantur fraude.

SECTIO XI.

DE

INSVLIS INDIAE.

§. I.

Reliquae Indiae Insvlae, inde a Iaponia, vsque ad occidentalem Indiam, Cis Gangem, in Oceano Indiae, cis atque trans Aequatorem, propagantur.

§. II.

Discerpuntur Oceano orientali, in XI. classes. Quarum,

1. Conglomeratae sunt VI. Marianae, quae et Latronvm, Philippinae Novae, Chinenses, Philippinae Veteres, Molvccenses, atque Maldivae.

2. Disivnctae VI numerantur: Celebes, Borneo, Iava, Svmatra, atque Ceylon. Eas, ordine, eo, quo iacent, exponemus.

§. III.

MARIANAE INSVLAE L. quae ab Maria Anna, Philippi, Regis Hiſpaniarum coniuge, adpellationem ab Magellano, praefecto claſſis, detectae, conſequutae ſunt, nunc demum, propter incolarum latrocinia, Inſulae LATRONVM, *Les Isle des Larrons*, dictae, mari orientali, infra Iaponiam abluuntur, ſuntque poteſtati *Hiſpanorum* ſubditae.

1. S. Laurentii, et *Vaſta Maria*, inſulae, ſupra Tropicum Cancri ſunt.

2. Pagon, ſeu *S. Ignatii*, Amalagam, ſeu *S. Conceptionis*, in *medio*.

3. Sapana, *Sarpane*, omnium praeſtantiſſima, nomen commune, omnibus inſulis conceſſit: quas Hiſpani, propterea, *Ilhas de la Sapana*, adpellant.

4. Gvahan, iſt eſt, *S. Ioannis* inſula, maxime auſtralis.

§. IV.

CHINENSES INSVLAE III. in orientali Chinae pelago natae, ad Chinam pertinent, loco ſuo iam propoſitae.

§. V.

PHILIPPINAE INSVLAE numero MCC, ex quibus L. caeteris maiores ſunt, in honorem Philippi II. a Ferdinando Magellano an. 1520. ſic adpellatae, in poteſtate ſunt *Hiſpanorum*. Reperiuntur in eis multi crocodili, magnitudinis admirandae teſtudines, ſerpentes 30. pedes longi, piſcesque Sirenibus Poetarum haud abſimiles.

1. Lucon, *Luconia*, nonnullis *Manillia* dicta, inſularum inter Philippinas eſt maxima, et animantibus rapacibus plena, in ſeptentrione. In qua ſunt:

2. Manilla, *Manilia*, vrbs praecipua, munita, archiepiſcopatu et Gubernatoris ſede ornata, nupero bello ab Anglis capta, ſed anno 1762. iterum Hiſpanis reſtituta. *Cabita*, *Cavite*, eſt portus capax, qui diſtat ab vr-

be

be millia passuum octo. *Carcores*, vrbs portu et Episcopi sede ornata.

3. Tandaja, primum *Philippina*, postea *Samar* cognominata, anno 1520. a Ferdinando Magellano, primum detecta est, in *ortu*.

4. S. Ivan, *Insula S. Ioannis*, iugum Hispanicum, pulsis Hispanis, excussit.

5. Mindanao, *Mindano*, insula mediocris, vna cum *vrbe* huius nominis, portu instructa, Regi suo obsequitur.

6. Matan, *Matana*, maxime *australis*, in qua Magellanus, Praefectus classis Hisp. perfidia servi ab insulanis interemtus, occubuit.

7. Paragoa, *Pouloan*, in *occidentem* remota, potentiam Hispanorum aeque refugit.

8. Mindora, *Mindora*, maxime fertilis, iuris Hispanici.

9. Insulae Philippinae nouae, 80. circiter, ad dextram iacent, quarum praecipuae sunt *Carolina* et *Lamures*.

§. VI.

Molvccenses Insvlae sub Aequatore, a *Ferdinando Magellano*, anno 1520. detectae ab *Hispanis*, ad *Portugallos*, ab istis, anno 1600. ad *Hollandos*, translatae sunt.

1. Gilolo, *Giloloa*, Aequatori subiecta, Hollandis paret, cum regulo suo, testudinum et oryzae ferax.

2. Ceram, *Cerama*, frumenti et aromatum ferax, infra est.

3. Amboina, *Cubello*, castro munito ab Hollandis custoditur, quaestui corallorum seruit.

4. Banda, *Banda*, exilis quidem; thure tamen, et nuce Moschatta nobilis, nomen circumiacentibus insulis mutuata est, Hollandis cum rege suo obnoxia.

5. Ti-

5. Tidor, *Tidora*, insula, cum regulo Hollandis subiecto.

6. Ternate, cum *Malayo*, sede regia, in Hollandorum potestate, in qua est castrum *Orange*, et mons igni-vomus.

7. Timor, *Timora*, cum *Concordia* castro, in *australum* a reliquis insulis abducta, aurum, frumentum, et aromata profert.

8. Floris, *Ende*, *Flora*, a floribus quibus luxuriatur, denominata, infra Celebes.

9. Solor, et *Bailly*, insulae duae, inter Celebes et Iavam iacent, Regibus suis subditae.

§. VII.

Celebes Insula, inde sequitur, sub lineam Aequinoctialem inflexa, omnibusque bonis referta, et propterea *Hollandorum* adserta *Prouinciis* orientalibus, longa 120, lata 60. milliaria. Regna in ea reperiuntur plura; praecipuorum capita sunt:

1. Celebes, *Celebes*, regni cognominis, quod partem regno suo, partem Hollandis subest, metropolis, portu firmata, et sede regis sui ornata.

2. Macassar, *Macassaria*, regni alterius, quod Hollandi tenent, caput, propugnaculis et portu communitum.

§. VIII.

Borneo Insula, reliquarum, quae sub Aequatore sunt, maxima, quippe cuius longitudo 160, latitudo 120. milliaria complectitur, Mahomedanae simul ac paganae religioni addicta, ob loca vliginosa insalubris; plurimarum attamen rerum; in his adamantis, auri et aromatum, feracissima. Hollandi commercia habent cum Regibus, vt sunt:

1. Borneo, *Borneum*, pelago, Venetiarum exemplo impositа, potentissimum regni cognominis Principem, sede

sede sua, excipit, indulgetque Batauis domicilium, quaestus exercendi gratia, in ora superiore.

2. Succadano, *Succadanum*, regni cognominis metropolis se unda, cum portu, in ora inferiore maritima.

3. Bendermassin, *Beniarmassin*, regni huius nominis regia tertia, commerciis Hollandorum cognita.

§. IX.

Iava Insvla, extrema in *meridie*, freto Sundae a Sumatra seiuncta, *Hollandorum*, et quorundam *Regulorum* imperio, obsequitur, insularum multo fertilissima et saluberrima; longa 150. milliaria, lata 40. Coloni eius sunt partim barbarae deorum superstitioni, partim Mahomedanae religioni addicti, paucis Christianorum exceptis.

1. Bantam, *Bantama*, regni Bantamensis vrbs prima, sede regia, portu, castello, et Batauorum, quibus paret, emporio incluta, freto Sundae adiacet.

2. Batavia, antea *Iacarta* dicta, regni cognominis, vrbs primaria, aeque mirifice magna, munita diuesque, cum portu: in qua, et Gubernatori, et depositorio Societatis Indicae, sedes perpetua, decreta est. In huius vicinia mons, pasuum millia amplius XV. longus et latus, vna cum accolis, voraginibus an. 1772. submersus est.

3. Materan, *Materana*, regni tertii metropolis, atque regia, quam olim XM. armatae mulieres, hodie CCCC. nonnisi custodiis muniunt, ampla est, munitaque, in regione maritima.

§. X.

Svmatra Insvla, quam Aequator Circulus diuidit, freto a Malacca dirimitur, longa C. lata LX. milliarium, colunturque ab *Anglis*, atque *Hollandis*, mercatus caussa. Incolae eius, pari, qua Iauani sunt, superstitioni obnoxii, hostium carnes crudas, postquam eas sale et pipere condiuerant, edere solent.

1. A-

1. Achem, *Achema*, in regione supera, praepotentem insulae Regem, sede sua, excipit, mercatu celebris.

2. Iambi, *Iambia*, metropolis, atque regia secunda regni, quod isto adpellatur cognomine.

3. Palemban, *Palimba*, sedes Regis Palimbensis tertia, emporio clara. Alii has castella Hollandorum esse perhibent.

§. XI.

Ceylon Insula, veterum *Taprobana*, inprimis vnionibus, quorum conquisitio difficilis et periculosa est, opulenta, in *Hollandorum* ditione, Indiae Cis Gangem subest, inter decem diuisa Regulos, cuius circumitus CCC. est milliarium.

1. Taffanatapatan, quae et *Iafanapatnan*, emporium est, et munitio, in ora *aquilonari*, cum Seminario litterario.

2. Trinquillemale, *Trinquillemala*, vrbs eximia, ad sinum constructa, cum portu.

3. Candy, *Candia*, regis in hac insula maximi, sedes est, in mediterraneis.

4. Chilao, *Chilaum*, oppidum tenue, a quo fretum denominatur.

5. Pico d' Adam, *Mons Adami*, omnium, qui in Asia prominent, celsissimus, altus vtpote 7. milliaria Gallica. In eo Adamum habitasse, et ex Euae lacrymis, quibus factum suum deplorauit, lacum salsum, qui in montis vertice conspicitur, exortum esse, fabulantur.

6. Colombo, *Columbo*, propugnaculum validum, in quo Gubernatori insulae, domicilium datum est, ab Hollandis.

7. Porto Gallo, *Portus Gallorum*, munitio insignis, cum portu capaci.

§. XII.

§. XII.

MALDIVAE INSVLAE, amplius XIIM. ante Malabariam peninsulam, sirtibus ab ipsa natura, in XII. classes descriptae, longae CL. milliaria. Vnius *Regis* imperio obnoxiae sunt, in Archipelago Maldiuarum.

1. Insula *Mamale*, in ora superiore, sterili, sicut reliquae, agro gaudet. Profert nihilominus poma varii generis, et testudines tanta magnitudine, vt in dorso vnius XII. viri considere valeant.

2. Male Dive, id est, *Mala insula*, non solum reliquis insulis nomen; verum, sedem etiam, insularum Regi, cuius maximi reditus ex naufragiis proueniunt, concessit, in *medio*.

3. Candu, *Cando*, insula, infra Aequatorem recessit.

§. XIII.

Additur, *vrbium* praecipuarum, in *Insulis Indiae*, tabula.

1. *Archiepiscopatus: Mamilla* in insulis Philippinis.

2. *Metropoles: Mamilla*, in Philippinis, *Cubello*, in Moluccensibus; *Celebes*, in Celebe; *Borneo*, in Borneo; *Batauia*, in Iava; *Colombo*, in Ceylon.

3. *Portus*: Cabita, Carcores, Mindanao, Celebes, Macassar, Bantain, Batauia, Succadano, Negombo, Trinquillemale, Porto Gallo, Muture, Macassar.

§. XIV.

Quod, ad *naturalem* Insularum Asiae *statum*, attinet:

1. Regio insularum, a *Tropico* Cancri, vltra *Aequatorem*, sparsim, in Oceano porrecta, quamuis, propemodum aequali solis ardore, torreatur: diuersam tamen habet temperiem coeli. Namque, *Philippinae*, *Celebes*, *Ceylon*, inter calores feruidos, aerem habent quodammodo temperatum, et salubrem; *Moluccenses*, contra, aliaeque, minus salutarem.

2. Fe-

2. Ferunt vbertim, res diuersas, et quidem, in *vegetabilibus*, frumentum, milium, oryzam, vitim, casiam, calambam, santalum, laser, cannam, lignum caeduum, mala citrea, aurantia, punica, coccos, dactylos, ficus, diuersos arborum fructus, piper, zingiber, cariophylla, nuces moschatas, cardamomum, cinnamomum, calamum aromaticum, ambram, thus, mastygem, aliosque odores, fabas caffe, herbam nicotianam, gossypium, sacharum, mel, ceram; in *animantibus*; pecus, elephantes, inprimis in Ceylon insula, rhinocerotes, leones, tygrides, vrsos, feles zibethicas, serpentes ac testudines ingentis magnitudinis, ostreas, aliaque conchilia, pisces, crocodilos, auium siluestrium varia genera, cumprimis manucodiatam; bombyces item, cum serico atque ebore; in *fossilibus*, aurum, argentum, aes cyprium, ferrum, stannum, plumbum, argentum viuum, antimonium, sulphur, auripigmentum, cinnabarim, camphoram, vitrum, sandaracham veterum, adamantes, rubinos, saphiros, smaragdos, carbunculos, chrysolitos, carbunculos chalcedonios, amethystos, topazios, turcesios, oculos felineos, vniones, corallia, lapidem bezoar, magnetem.

3. Defectus, aquae fluuialis et fontanae, ligni caedui, atque frumenti, in quibusdam insulis obseruatur.

4. Indigenarum, propter *calores* ardentissimos, omnes quidem, Philippinis exceptis, *corpus adustum*, colorem proinde vel fuscum, vel flauum habent, animum tamen diuersum ostendunt. Incolae namque, *Philippinarum*, *Moluccensium*, *Celebes* et *Borneo*, insularum, *culti* sunt et humani; *Latronum*, *contra*, *Sumatrae*, *Ceylon*, et aliarum insularum, *inculti*; eorumque quidam, qui Latronum inhabitant insulas, *latrociniis*; qui autem, Ceylon terram incolunt, *incestibus* contaminati.

§. XV.

Quoad *ciuilem* Insularum *statum*:

1. Re-

1. Regimen Insularum, inter *Indos* et *Europaeos* diuisum, partim Regum Indiae, regia, partim Europaeorum, potestate *vicaria*, administratur.

2. Indorum Reges XXXVI. *imperio* gaudent *despotico*, isto ordine: In *Philippinis* insulis, III S. Ivan, Mindanao, Matan; in *Moluccensibus*, V. Malayo, Tydor, Ceram, Gilolo, Solor; in *Celebe*, II. Celebes, Macassar; in *Borneo*, III. Borneo, Succadano (Sambas) Bendermassin; in *Iaua* IX. Batan, Materan, Iacatera, Iapara, Tuban, Iortan, Passarvan, Panarucan, et Balumbuan; in *Sumatra*, IX. Achem, Iambi, Palemban, aliique; in *Ceylon*, Bandon, aliique X; in *Malduiis*, I. Malediwe. Inter quos tamen, nonnulli *Europaeorum vectigales* sunt.

3. Prouinciis Europaeorum, quas *Proreges* et *Gubernatores* administrant, sequentes insulae insertae sunt: *Hispanis* parent, Marianae Philippinae; *Hollandis*, Moluccenses, Celebes, Iava, Ceylon; habentque, in Borneo atque Sumatra insulis, negotiationis sedem; *Angli*, commercia, cumprimis in Sumatra et Celebes insulis, promouent.

4. Vires *Insulanorum*, quamuis colonias et praesidia *Europaeorum*, multidine populi, superant: facile tamen, et prudentia militari, vsuque armorum, et scientia rei naualis, ab istis refrenantur.

5. Religio, in omnibus insulis, vel *Pagana* est, vel *Mahometana*. Coloniae tamen Europaeorum, cum nonnullis, in Philippinis et Iava, insulanis, Deum, ritu *Christiano*; et quidem, partim *Romano-Catholico*, partim *Euangelico*, partim *Reformato* Anglicano, et Heluetico, colunt.

6. Litteris, *exilis* apud Insulanos conceditur *locus*. Inter quos, *Maldiuenses*, Astrologiae, Medicinae atque Artium, peritos esse, perhibent.

7. Nummorum, inter solos *Europaeos* vsus est. Pro quibus,

bus, Insulani, inuentas in litoribus *conchyliorum* testas, in emtione et venditione, inter se, adhibent.

CAPVT II.

DE

AFRICA.

SECTIO I.

DE

AFRICA IN GENERE.

§. I.

AFRICA, tertia pars Orbis terrarum, denominationem ab *Afro*, vel Herculis filio, vel Abrahami nepote, accepit, Graecis *Libya*, Hebraeis *Terra Chami* dicta, consenditque *meridiem* versus, sub *Zona torrida*. Quam, linea *aequinoctialis*, per medium, secat; vterque *tropicus*, ex superiore et inferiore stringit latere.

§. II.

Incingitur regio vasta, a *septentrione* quidem, mari Mediterraneo; ab *ortu*, Isthmo 18. milliaria lato, et sinu Arabico; a *meridie*, pelago Aethiopico; ad *occasum*, Oceano Atlantico. Formam habet trianguli. Longa est MCC. milliaria, lata todidem fere.

§. III.

Marium, quibus adluitur, quatuor sunt nomina.

1. Mare *Mediterraneum*, inter Europam et Africam, in *septentrione*.

2. Oceanus *Orientalis*, qui et *Indiae*, cuius pars est sinus *Arabicus*, in *ortu*.

3. Ocea-

3. Oceanus *Meridionalis*, ſeu *Aethiopicus*, in *meridie*, qui pro diuerſitate prouinciarum, quas adluit, diuiditur in mare Guineae, Congi, Caffariae, et Tanguebariae.

4. Oceanus *Occidentalis*, ſeu *Atlanticus*, a monte Atlante ſic dictus, in *occaſu*, cuius partes ſunt. *Mare Iuncoſum*, ab herbis natantibus ita adpellatum, et *Mare Canariae*.

§. IV.

Diuiditur AFRICA, ſecundum veteres, ac recentiores, bifariam:

I. VETERVM modo diſtinguitur:

1. In REGIONES SEPTENTRIONALES IV. quae in *Barbaria* ſeu *Mauritania* iacent.

2. In REGIONES ORIENTALES II. quales ſunt: *Aegyptus* ac *Nubia*.

3. In REGIONES MERIDIONALES III. vt ſunt: *Abeſſiniae*, *Menoemugi*, et *Manamotapae* Imperia.

4. In LITORA AFRICAE V. veluti: *Coſta* de *Abex*, ad ortum, *Ora Aiana*, *Zanguebaria*, *Caffaria*, *Congum* regnum.

5. In REGIONES OCCIDENTALES IV. ſcilicet: *Guineam*, *Nigritiam*, *Saram*, *Bieldulgerid*.

6. In INSVLAS quintuplices, quarum nomina ſunt: *Fortunatae*, *Heſperides*, ad *Guineam*, *Madagaſcar*, *Maſcarenae*.

II. RECENTIORVM arbitratu, ſubdiuiditur:

1. In REGIONES BOREALES II. vt ſunt: *Barbaria Vlterior* et *Citerior*, cum *Sara Deſerto*.

2. In REGIONES ORIENTALES III. veluti: *Aegyptum*, et *Aethiopiam Anteriorem Orientalem*, in *Nubiam* et *Abeſſiniam*, diuiſam.

3. In Regiones Meridionales V. quales sunt in Aethiopia Vlteriore, *Aethiopia Interior*, *Ayan* ac *Zanche* Litora, et *Cafreria*, atque *Guinea Inferior*, Regiones.

4. In Regiones Occidentales II. quae sunt in Aethiopia Anteriore Occidentali, scilicet: *Guineam Superiorem* et *Nigritiam*.

5. In Insvlas Occidentales, in Oceano Atlantico, et Orientales, in mari Indico.

§. V.

Africa, siccitatis maximae, duos nobiliores habet fluvios, *Nilum* vtpote, et *Nigrum*; lacus tres, *Borno*, ad fontes Nigri, *Zaire* et *Zembre*, in australi regione.

§. VI.

Quod, ad *naturalem statum*, pertinet:

1. Regio, vasta magis, quam frequens, in *Zonam* ab aestu solis *torridam* remota, vti *aestates*, pro coeli positu, habet *perferuidas*: ita agrum, qua sabulo et arena obductus est, *sterilem* et *inhabitabilem* adeo, vt et centum milliarium solitudines reperias, silvestrium domicilia ferarum; qua vero Aequatori subiectus, *fertilem* eximie. In quo, obuersi vltra Tropicum Cancri, ad septentrionem spectatores, *auersam* in meridiem corporis sui *vmbram*, obseruant.

2. Gentes diuersae, ex *Chami* atque *Semi* posteris ortae, et in *Mauros* atque *Aethiopes*, generatim diuisae, animum, cum corpore atro, et nare sima, incultum habent, suntque nonnulli turpes anthropophagi. Quorum, quidam membra, *veste obtegunt* lanea; quidam *nudi agunt*, parte tantum obscoena velati. Ad eos, tempore nouo, partim *Hispani* et *Portugalli*; partim *Angli*, *Franci* atque *Hollandi*, negotiationis caussa. accessere.

3. Ser-

3. Sermonis, pro varietate gentium, varii, in Africa hodie vſus eſt; etſi olim vna ſolum fuerit dialectus, ab *Albimaliko* regulis comprehenſa. Scilicet, *Arabicus*, locum habet, in Barbaria et Sarae deſerto; *Copticus*, in Aegypto; *Aethiopicus*, in Abeſſinia; *Melindanus*, in litore orientali; *Madagaſcarenſis*, in inſula cognomine; *Hottentotticus*, in Africa Meridionali; meleagridis, quam humanae voci ſimilior, *Congo Angolinus*, *Guineae* atque *Nigritiae* proprius.

§. VII.

Quoad *ciuilem* Africae *ſtatum*:

1. Regimen Africae, in *Imperia* III. *Regna Maiora* XI. *Reſpublicas* III. diuerſasque *Prouincias* et *Gentes*, diſtinguitur. In quibus, ius *Europaeorum* prouinciale, in quibusdam etiam vſurpatur Ditionibus.

2. Sunt itaque *Imperia* Africae tria: *Feſſano-Marroccanum*, *Aethiopicum*, et *Manamotapae*.

3. Regna *Maiora* XI. Nubiae, Nigritiae, Benin in Guinea ſuperiore, Loango, Cacongo, Angoy, Congo, Angola, Benguela et Matamba, in Guinea inferiore, Mono Emugi item, numerantur. *Minora*, innumera ſunt, loco ſuo recenſenda.

4. Reſpublicae *Maiores* III. Algeriana, Tunetana, et Tripolitana florent. *Minores*, loco exponentur ſuo.

5. Prouinciae, in VI. diſtinguuntur Ditiones. *Hiſpanis* parent, Tremiſen in Barbaria, et Inſulae Fortunatae; *Portugallis*, Inſulae Capitis viridis, Madera, aliaeque plures. *Anglorum* ſunt: Inſula S. Helenae, Madagaſcariae, et Guineae ſuperioris pars; *Hollandorum*, Guineae et Madagaſcariae pars; *Gallorum*, Inſula S. Maurici, aliaque loca; *Danorum*, in Inſulis et Guinea.

6. Gentes innumerae, in *varias* diſtinctae *tribus*, loco indicabuntur ſuo.

7. Religionis, qua numen apud *Afros* colitur, quadruplex

genus est. 1. *Christiana*, Afrorum, in Copticam et Abessinam; Europaeorum in coloniis, in *Romano-Catholicam*, *Reformatam* Anglicanam atque Helueticam, et *Euangelicam*, distinguitur. 2. *Mahometana*, secundum *Omar* instituta, in Barburia, aliisque regionibus, obseruatur. 3. *Iudaica*, a Iudaeis, qui Mahometanis Christianisque intermiscentur, colitur. 4. *Pagana*, apud complures Africae populos, in diuersas sectas scinditur.

8. Litterarum studiis, nulli, in Africa, praeter *Arabes*, *Mauros*, *Abyssionios*, qui duas habent academias, et *Aegyptiorum Coptos*, dediti sunt.

SECTIO II.

DE

BARBARIA.

§. I.

BARBARIA, die *Barbarey*, quae et *Mauritania*, septentrionalis Africae regio, a mari *Atlantico*, vsque ad *Aegyptum*, inter mare *Mediterraneum* et *Sarae* deserta, extenditur, cuius summa latitudo est C. milliarium, at longitudo octuplo maior.

§. II.

Adluitur regio vasta, mari duplici.

1. Mare *Atlanticum*, quod nomen a monte Atlante, vt diximus, accepit, occidentalem regionis oram, substringit.

2. Mare *Mediterraneum*, septentrionale regionis latus terminat; in quo,

3. Fretum *Herculeum*, seu *Gaditanum*, *Estrecho* de *Gibraltar*, *Gibel Tarif*, Africam ab Hispania, angusto discriminat interuallo.

§. III.

§. III.

Montium, in hac regione, altiſſimus eſt *Atlas*. Qui a pelago, cui nomen Atlantici mutuatus eſt, vsque in regionem Tripolitanam propagatur, a Barbaris, per quorum ditionem procurrit, *Daram*, *Nofuſa*, *Guibet* atque *Meyes*, cognominatus.

§. IV.

Diuiditur, pro ſitus ratione, bifariam.

I. BARBARIA VLTERIOR, alias OCCIDENTALIS EXTREMA, continet Regna III. FESSANVM, MAROCCENSE et TAFILETVM, Imperii nomine comprehenſa.

II. BARBARIA CITERIOR, ſeu OCCIDENTALIS CITERIOR, complectitur Regna IV. ALGERIANVM, TVNETANVM, TRIPOLITANVM, BARCANVM.

§. V.

IMPERIVM MAROCCANVM, olim *Bochudis* et *Bocchi Regnum*, *Tingitana* item, per Barbariam Vlteriorem extenſum, *Atlantico* et *Mediterraneo* maribus coarctatur, diuiditurque, in regna prouinciasque V.

I. FESSANVM REGNVM, *Fez*, in octo diuiſum Prouincias, *Mauritaniam Tingitanam* abſolvit, et ampla oppida continet, in Regione Cis Atlantem.

1. Fez, *Faz*, *Feſſa*, regia, eaque copioſa, accepto ab auro cognomine, in duas vrbes, *Fez Bele*, magnam ac praediuitem; et *Fez Gedide* minorem, ſed magis munitam, diuiſa, in mediterraneis eſt, ad ſeptentrionem. Domus lapideas, easque bene altas, ad decem millia habere perhibetur, plateas 200, portas 86, templa 700, ſuburbia 32. cum hortis, multarum arborum vmbra, et dulcedine fructuum amoeniſſimis. Excellit Academia quoque et bibliotheca Arabica.

2. Mequinetz, *Mequinesia*, vrbs ampla, et arce regia ornata, in qua defunctus Imperator commorabatur, ad dextram remota iacet.

3. Salée, *Salea*, vrbs, muro, aggere, castello et portu communita, olim reipublicae; hodie Proregis sedes est, nauibus et commerciis potens.

4. La Rache, *L' Arache*, *Lixus*, *Lika*, munitio valida, eaque maritima, cum portu, anno 1681. armis barbarorum Hispanis erepta.

5. Arzilla, *Arzilla*, vrbs parua, ab Hispanis derelicta.

6. Tanger, *Tingis*, vrbs munita, Portugallorum antea, post Anglis concessa, ab iisque munitionibus suis nudata, a Mauris tamen occupata, reparataque.

7. Tettuan, *Tetuanum*, munimentum eximium, portu confirmatum, prope mare, hospitium piratis barbarorum praebet.

8. Ceuta, *Septa*, vrbs Hispanorum munita, colli Auila, ad columnam fretumque Herculis impositа, et Gibraltariae obiecta, IVM. armatorum praesidio tenetur. Iuris fuit ante 100. et quod excurrit annos, Portugallorum.

9. Melilla, *Melilla*, propugnaculum iuris Hispanici, in ora maritima, anno 1774. frustra ab Imperatore Maroccano oppugnata.

10. Pennon de *Velez*, castrum munitum, in possessione Hispanorum, insulam in mari mediterraneo insedit.

II. TAFFILETTE REGNVM, in regione *Biledulgerid*, ad imperium Maroccanum pertinet, vbi:

Taffilette, *Taffiletta*, vrbs magna ad fluuium cognominem, arce ornata.

III. DARA PROVINCIA, in *Biledulgerid*, cuius sunt:

1. Benisabich, *Benigabich*, vrbs praeclara, haud procul a mari, ad fluuium Darham.

2. Tin-

2. Tinzeda, ad eundem fluuium, populoſa, et probe munita.

IV. SVS PROVINCIA, in eadem regione, cum oppidis ſuis ſequitur.

1. Sus, *Sus*, caſtellum, eiusdem cum prouincia nominis.

2. Cap Non, *Non Vltra*, promontorium, Herculis nauigatione memorandum.

3. Tarodant, *Tarudant*, *Tarabanta*, vrbs frequens, et ſpecioſa, vltra montes, qui cum Atlante cohaerent.

4. S. Crux, *Vera Cruz*, ſeu *Aguader*, *Cap d' Aguer*, *Agades*, oppidum elegans, a Portugallis conſtructum, ſed a barbaris occupatum.

5. Meſſe, *Meſſa*, vrbs ampla, apud quam Ionam vatem a piſce eiectum fabulantur incolae.

V. MAROCCENSE REGNVM, *Marocco*, in ſex prouinclas diſtinctum, *Mauritaniae Tingitanae* pars, priori in *auſtrum* obiacet.

1. Marocco, *Maruecos*, vrbs magnitudinis eximiae, et regia, validis munitionibus confirmata, in mediterraneis, ad occaſum iacet.

2. Saffy, *Saffia*, *Azafia*, vrbs mercatu clara, hoſpitium Conſuli Gallorum concedit.

3. Magazan, *Mazagan*, *Magaſanum*, vrbs munita et copioſa, arce ornata, in ditione Portugallorum.

4. Azamor, *Azamurum*, vrbs laxa, munitionibus, et numeroſo praeſidio confirmata, in maritimis.

5. Togoaſt, *Togauoſtum*, patria eſt D. Auguſtini.

6. Gared, *Gareda*, mercatu, atque corio, quod in Europam defertur, nobilitata. Vrbs haec, vna cum priore, ad *Suſam Prouinciam*, verius refertur.

§. VI.

ALGERIANVM REGNVM, *Algier*, *Numidiam* et *Mauritaniae* partem complectens, proximum est Fessano, in IV. regna, et I. Rempublicam diuisum.

I. TELENSINVM REGNVM, seu *Tremesin*, in quo occurrit:

1. Tremesin, *Tremesin*, *Telensium*, vrbs ampla, super ostia amnis Teffisii, regni sui, primaria, muro valido castroque confirmata est.

2. Oran, *Vaharan*, *Oranum*, munitio insignis, rupi, in mari eminenti, impositum, anno 1708. a barbaris occupabatur, anno autem 1732., ab Hispanis recuperabatur iterum.

3. Marsalquivir, *Mazalquibir*, munitio et portus eximius, ditionis pariter Hispanicae.

4. Mustagam, *Mustagamia*, oppidum paruum, cum castro et portu capaci.

II. TENESANVM REGNVM, Tenez, proximum priori ad dextram, vbi:

1. Tenez, *Teneſa*, vrbs, regni prima, munimentis, castro, portu et promontorio clara.

2. Serfel, vrbs elegans cum portu in maritimis, et *Cuco*, munitio, in mediterraneis.

III. RESPVBLICA ALGERIANA, vltra, ad orientem versus porrigitur, cuius est:

Alger, *Algier*, *Algeria*, Arabibus, *Gezair des Beni Morgana*, *Gezaira*, dicta; reipublicae caput, vrbs est in maritimis magna, et Africae ditissima, muro 40 pedes alto, lato 12, vallo 20 pedum, septem castellis, multisque turribus septa, portu eximio, palatiisque ornata.

IV. REGNVM BVGIAE, paruum est, in quo:

1. Bu-

1. Bugie, *Bugia*, olim *Salde*, vrbs, regni primaria, arce et portu valida.

2. Gigeri, *Gilgel*, *Igilgilis*, oppidum, olim munitum, nunc apertum, cum portu, et arce.

V. REGNVM CONSTANTINVM propter fines Tunetanos, vbi:

1. Bone, *Bona*, *Hyppo*, vrbs quondam episcopalis, D. Augustino olim, nunc portu ornata.

2. Constantine, *Constantina*, vrbs magna, speciosa, muroque, et arce firmata, in loco edito.

§. VII.

TVNETANVM REGNVM, *Tunis*, in eodem maris Mediterranei litore, *Africam Propriam* continet, cuius loca nobiliora sunt:

1. Biserta, *Vtica* veterum, vrbs ampla atque munita, cum portu, mercatu insignis.

2. Birsa, *Marsa*, vicus, in Carthaginis ruinis.

3. Tunis, *Tunes*, *Tunetum*, vrbs princeps ac praepotens, et portu ac munitionibus confirmata, splendidis palatiis, 350. templis Turcicis castroque instructa, reipublicae sedes est, ex Carthaginis ruinis nata.

4. Goulotte, *Golette*, *Gulettum*, propugnaculum vrbis Tunetanae, in insula.

5. Souſa, *Susa*, rupi impositа, portum *Farino* despicit.

6. Lampadosa, et *Linosa*, insulae duae, iuris Maltensis.

7. Cairoan, *Caroan*, *Tisdeus*, Calipharum aliquando sedes, et conditorium in mediterraneis.

8. Elimahdia, *Mahometana*, maritima, Calipharum secessu regio celebrata.

9. Syrtis minor veterum, et *Gerbes*, *Latophagites*, insula, in potestate Turcorum, inde sequuntur.

§. VIII.

§. VIII.

Regio Dactylifera, *Biledulgerid*, quam nonnulli a Barbaria seiungunt, vti reapse Atlante diuisa est. Memorantur in ea aliquot Prouinciae et regna, quo pertinet;

1. Regnum *Tesset*, occidentem versus, cum vrbe cognomine, tributum Maroccano Imperatori soluit.

2. Regnum *Segelmesse* Maroccano subest imperio.

3. Regnum *Thovet*, cum *Feghiga* vrbe, nundinis clara.

4. Regio *Tegorarin*, cum priori regno Maroccanis tributum soluit.

5. Regna *Zeb*, *Techort*, et *Guargala*, tributi nomine Algerianis obnoxia.

6. Regnum *Biledulgerid*, tributum Tunetanis soluere cogitur.

7. Prouinciae *Gademes*, Fessen, et *Teorregu* Tripolitanis subsunt.

8. Desertum *Barcan*, in quo Iouis Hammonii, vetere aeuo oraculum erat, a paucis Arabibus rapto viuere ad suetis, inhabitatur.

§. IX.

Regna Tripolis, atque Barcae, ad Aegyptum excurrunt.

I. REGNVM TRIPOLITANVM, *Tripoli di Barbaria*, *Africa vetus*, occasum respicit. In quo,

Tripoli, *Tripolis*, vrbs potens et piratica, aeque ac Alger Tunisque, formidabilis, cum portu, in tutela Turcorum, aqua fontana indiga.

2. Tripolis Vecchia, *Tripoli Vetus*, *Zovaga*, inter vtramque Syrtem sita.

3. Le-

3. Lepe, *Lepeda*, *Lepeta*, vrbs caſtro portuque clauſa, in ortum diſtat a priore.

4. Zoara, *Zoara*, oppidum maritimum, muro ſeptum.

5. Capes, *Capes*, vrbs frequens, cum portu, a qua ſinus Byzacenae, Golfo de Capes, cognominatur.

6. Sidra, *Sidra*, a qua, et ſinus Syrtis maioris, *Golfo di Sidra*, et Promontorium, *Capo de Sidra*, nomen accepit.

II. REGNVM BARCANVM, *Barca*, *Marmoricam* tenet et *Cyrenaicam*, in ortu, inter Tripolim ac Aegyptum. In eius agro ſedent:

1. Braque, *Barca*, metropolis regni, in mediterraneis, Turcici ſedes Praetoris, frequens et munita.

2. Cayron, *Carnenna*, *Cyrene* veterum, olim Carthaginis aemula, hodieque oppidum tenue, quodammodo reductum a mari.

3. Bernichov, veterum *Berenice*, oppidum exile.

4. Tolometta, antiquorum *Ptolemais*, rudus inane.

5. Bon Andria, *Bonus Andreas*, oppidum optimum.

§. X.

Adnectatur, *vrbium* praecipuarum in *Barbaria*, tabula.

1. *Epiſcopatus* II. *Septenſis*, ſub Archiepiſcopo Oliſſyponenſi. 2. *Tingitanus*, ſub Eborenſi.

2. *Academiae* Arabum II. Feſſana et Maroccenſis. Tuneti praeterea 86. ſcholae, et 9. Collegia numerantur.

3. *Metropoles*: Fez, Marocco, Oran, Alger, Tunis Tripoli, Barca.

4. *Portus*: Mequinetz, Salée, la Rache, Tettuan, Oran, Marſalquivir, Muſtagam, Tenez, Serſel, Alger, Bugia, Gigeri, Bona, Biſerta, Tunis, Suſa, Tripoli, Capes, Lepe.

§. XI.

§. XI.

Quod, ad *naturalem* Barbariae *statum*, pertinet:

1. Regio ingens, proximaque ad Tropicum Cancri, parem habet, cum Europa, *coeli indolem*. Id namque, *vere*, mite est mirificeque serenum; *aestate*, aestu intensissimo inflammatum; *autumno*, aere frigido temperatum; *hieme*, bruma acriore constrictum. Quam ob rem, *ager* quoque, monte Atlante, per medium distinctus, satis, pro qaulitate coeli, *foecundus* est, rerumque diuersarum ferax, si nonnullas exceperis prouincias.

2. Abundat namque, in rebus *vegetabilibus*, frumento, vitibus, oliuis, pomis citreis, aurantiis, malis persicis, armeniacis, cydoniis, ficubus, dactylis, peponibus, aliisque arborum fructibus; in *animantibus*, equis generosis, pecore, ouibus cauda ponderosissimis, camelis, bubalis, leonibus, leopardis, tigridibus, elephantibus, simiis, piscibus, draconibus, seu serpentibus inusitatae magnitudinis; in *fossilibus*, auro, argento, cupro, ferro, antimonio, sabulo aureo, saphiro, carbunculo, amethysto flammeo, marmore et terra Tripolitana, quam *tripel* vocant.

3. Gentes Barbariae, in *Arabes*, *Mauros*, *Nigros*, atque *Breberes montanos* diuisae, fortes sunt et alacres: quarum priores, in *vrbibus* habitant, posteriores frequentant *montes*, siluasque, vel sub tentoriis degunt.

4. Sermo, prioribus est *Arabicus*, posterioribus, ex hoc et Africano mixtus.

5. Victum quaerunt, eorum omnes, ex re *rustica* et *pecuaria*; quidam vero, ex *negotiatione*, latrociniis, et piratica, voluptati et polygamiae, inprimis dediti.

§. XII.

Quoad *ciuilem* Barbariae *statum*:

1. Re-

1. Regimen, pro ratione *Magiſtratus*, in Barbaria, diverſum eſt. In Imperio Feſſano Maroccenſi, *monarchico*; in Rebuspublicis, *ariſtocratico* imperatur modo; Prouinciae, contra ea, *iure* adminiſtrantur *provinciali*.

2. Regnum Feſſano Maroccenſe, poteſtate *deſpotica*, et auctoritate *imperatoria* regitur. In quo, Imperator, adhibito, pro corona *pileo turbinato*, *ſummo*, in ſubditorum bona atque perſonas, *iure* gaudet.

3. Rerumpublicarum, quae ex militibus coaluerunt, poteſtas, a *Collegio Senatus*, quod *Divan* nominant, *iure* exercetur *ariſtocratico*. Praeeſt eidem, cum auctoritate, apud Algerios, *Praetor* ſeu *Aga* militum; apud Tunetanos et Tripolitanos, *Dux*, *Day* vocatus. *Proreges* Imperatoris Turcorum, *Baſſae* dicti, in qualibet republica, non niſi, *ius clientelare* obſeruant, et ſtatum a populo exigunt tributum.

4. Reditus publici, *partim* ex tributo, vectigalibus, decima, primitiisque rerum, *partim* ex piratica, congeruntur. Opinione illi ſunt maiores.

5. Vires Barbarorum, quod ſi coniungantur, terra marique formidabiles ſunt: Imperator *Marocanus*, facile, in continente, *centum* peditum et *ſexaginta* equitum millia, poteſt armare. *Algeriani*, 42000. militum, et 20. naues bellicas; *Tunetani*, 20000. peditum, cum 12. nauigiis; *Tripolitani*, totidem milites nauesque, pacis tempore alunt. Praeter hos, *ſexaginta* mancipiorum *millia*, ſub poteſtate Barbarorum, numerantur.

6. Religio Barbariae, inter Arabes et Mauros, *Mahometana*, cuius antiſtes *Mufti* vocatur, ſuffraganei *Morabaus*, et *Santon*; inter Europaeos, *Chriſtiana Catholica*, locum habet. Cui, in Hiſpanicis et Portugallicis ditionibus, *Septenſis* et *Tingitanus* Epiſcopi, moderantur.

7. Litterarum, haud contemnendum, apud Barbaros, obſervatur

vatur pretium. In *Fessana* namque et *Maroccenfi* ſcholis, Grammatica, Poeſis, Aſtrologia, Iurisprudentia, aliaeque diſciplinae, *Arabico* traduntur *ſermone*. Quidam Arabum, Magiae quoque, Chimiae, arti militari et Chryſopoeiae, ſtudent.

8. Nummi Barbarorum, triplicis ſunt ordinis. 1. Inter aureos, *Metecal*, *Meticallo*, *Nummus Afrorum aureus*, quadraginta Afrorum nummos argenteos, id eſt, Europaeorum Ducatum, valore ſuo adaequat. 2. Inter argenteos, *Blanquilles*, *Nummi Afrorum argentei*, in vſu ſunt. Eorum vnus, quatuor Germanorum nummos cruce ſignatos, ſeu cruciferos; quadraginta vero, centum Obolos Francicos, *Sols* vocatos, continet. 3. Inter aereos, *Felours*, *Nummi Afrorum cuprei*, quorum octo, valorem vnius Nummi argentei, *Blanquilles* dicti, complent.

SECTIO III.

DE

SARA DESERTO.

§. I.

SARA, ZARA, DESERTVM BARBARIAE, Tropico Cancri ſubiectum, in *ſeptentrione*, Barbaria; in *ortu*, Aegypto; in *meridie*, Nigritia; in *occaſu*, mari Atlantico, quod Viridibus et Canariis inſulis diſtinctum eſt, terminatur. Longum 700. milliaria, latum ad 150, in quo, veteri aeuo, *Garamantes* et *Getuli* habebant.

§. II.

DESERTVM vaſtum, idque arenoſum, et ab *ortu*, in occaſum prorogatum, a quibusdam, in DESERTA MINORA V. ab aliis, in REGNA X. diſtinguitur.

I. ZANHAGA DESERTVM, ſeu REGNVM. In quo,

1. Taſ-

1. Taffet, *Teſſet*, in mediterraneis, inter Ludayes et Vlades Arabes, ad *aquilonem.*

2. Tagaza, *Tegaza*, ſolitudo, puteis tamen ſalis clara, ad *ortum.*

3. Azarad, planities, ad puteum *Azoat*, ſeu *Azagat*, aqua carens, per 200. milliaria extenditur.

4. Azgar, pars deſerti paluſtris, in *meridie.*

5. Argovin, *Gvir*, inſula pridem Batauorum, nunc Anglorum, in *occaſu.*

6. Capo Blanco, *Cap Blanc*, *Promontorium Album*, inde adſurgit.

7. Capo Buzader, *Promontorium Bojador*, in eadem plaga.

II. ZVENZIGA DESERTVM, ſeu REGNVM, reliquis, et aſperius, et aridius, perpaucos habet incolas.

III. TARGA DESERTVM REGNVM, reliquis minus horridum. In quo eſt:

Targa, locus ampliſſimus, apud *Saara* lacum.

IV. LEMTA DESERTVM REGNVM, *Lumpta.* Vbi,

1. Catifelcheber, oppidum eſt copioſum.

2. Lempta, caput regni, loco ſterili poſita.

V. BERDOA REGNVM, ſeu LEVATA DESERTVM, exteriorem *Lybiae* partem occupauit. In eius agro ſunt:

1. Zala, *Sala*, vrbs et reſpublica, ad *aquilonem.*

2. Oughella, *Augela*, vrbs et reſpublica ſecunda, in eadem ora.

3. Santrie, *Siune*, vrbs et reſpublica tertia, *orienti*, ſitu ſuo obiecta.

4. Levata, *Levates*, populi, in eadem plaga ſedent.

5. Berdoa, *Berdoua*, metropolis populoſa.

6. Kucu, *Kuku*, Regnum, inde sequitur.

7. Tagua, *Tagva*, Prouincia, Taguitarum patria, cum oppido cognomine, in *meridie*.

8. Kovar, *Kouaria*, terra, in occasum declinat.

9. Zavila, *Savila*, vrbs et respublica quarta.

10. Hesak Bri, *Iouis Ammonis* templum esse creditur.

§. III.

Quod, ad *naturalem* Sarae *statum*, adtinet:

1. Regio ingens, eaque, partem *arenosa*, partem *palustris*, aestate calidissima *aduritur*, recedente vero ad Aequatorem sole, *statis* recreatur *imbribus*.

2. Tellus, propter arenas paludesque, minus diues, proprofert in *vegetabilibus*, aliquantum graminis; in *animalibus*, feras saeuissimas, et miras aues, vtpote: leones, tigrides, pantheras, camelos, siruthiones equi magnitudinem adaequantes, cicadas, quibus incolae loco cibi vtuntur, et quibus loca sunt infesta, serpentes atque scorpiones; in *fossilibus*, plantas, et animantia in saxum conuersa.

3. Defectus aquae, in regione siticulosa, magnus est. In qua, contecti animantium pellibus *fontes*, saepissime, arena aut sabulo obruuntur.

4. Incolae regionis, duplicis obseruantur nominis. 1. *Bereberes*, antiquo sati genere, adeo fortes sunt ac robusti; vt etiam leonibus occurrere audeant. 2. *Arabes* et *Mauri*, in varias tribus diuisi, vsque ad Nigritiam extenduntur.

5. Loquuntur ii, sermone *Arabico*, aluunturque pecore, saepe et latrociniis, admodum inopes: inter quos, Ulad Yehaye, *Luyades* atque *Lemtunae*, primarii esse censentur.

§. IV.

§. IV.

Quoad *ciuilem* regionis *ſtatum*:

1. Regimen, diuerſarum in Deſerto Sara nationum, iure, partim *prouinciali*, partim *democratico*, adminiſtratur.

2. In *Maroccana* et *Tripolitana* ditionibus, nec non in coloniis *Europaeorum*, ius dicitur *prouinciale*. In *Rebuſpublicis*, contra ea, *Arabumque* tribubus, *populare*.

3. Religio *Mahometana*, per omnia Sarae Deſerta propagatur: in quibus, accolas quosdam, Atheorum more, *absque religione* viuere, perhibent.

SECTIO IV.

DE

AEGYPTO.

§. I.

AEGYPTVS, nomen a filio *Beli* indepta, ab Hebraeis Mizraim, Turcis Miſir, et ab indigenis Chibili vocatur. Longa ea eſt milliaria circiter CC, lata vero C. Immittitur a Barbaria vſque ad Arabiam in ortum.

§. II.

Terminatur ea, in plaga *ſeptentrionali*, mari Mediterraneo; in *ortu*, Iſthmo et ſinu Arabico. Vnde, in plagas alias refugiens, in ora *meridionali*, Nubiam; in *occidentali*, Barbariam, limitibus ſuis, contingit.

§. III.

Incingitur, in limitibus, mari duplici.

1. Mare *Mediterraneum*, oram ſubſtringit aquilonarem, quod peregrini Mare di Levante, adpellant.

2. Mare *Rubrum*, seu *Erythraeum* (longum 300, latum 60. milliaria) quod et *Sinus Arabicus*, *Kisbyl Denghsi*, per oram diffunditur orientalem: cuius pars maxime borealis, *Sinus Heroopolitanus*, vocatur.

§. IV.

Rigatur in medio, *Nilo*, seu *Abawi*, flumio. Qui ex Abessiniae montibus missus, primum quidem asper, postea placidior, per omnem regionem diuisus vagatur, efficitque intra alueum,

1. Cataractam maiorem *Ibrimensem*, et Cataractam minorem *Syennensem*; in tractu inferiore,

2. Ostia, quibus in mare *Mediterraneum* effunditur, olim quidem *septem*, hodie, *tria* tantum;

3. Delta, *Delta*, inter Nili alueos; cuius cuspis, vbi flumen in alueos dispensatur; basis, inter dissitissima eius ostia. De caetero, fluuius hic, rore, quem *Cocciam* Aegyptii vocant, impraegnatur, a 17. Iunii vsque ad 14. Septembris alueum egressus, regionem, in qua nonnisi mensibus tribus, Nouembri scil. Decembri et Ianuario pluit, irrigat et foecundat.

§. V.

Diuiditur, pro administrationis ratione, in REGIONES III. quas recto exponemus ordine.

I. INFERIOR REGIO, *Bahri*, *Behria*, dicta, Barbariam et Arabiam, in litore aquilonari, contingit. Vrbes eius praestantissimae sunt:

1. Port Alberton, *Paraetonium*, oppidum insigne, cum portu, in Barcae finibus.

2. Bouhera, *Buhera*, prouincia, supra, in ora septentrionali, prope ad Barcae regnum.

3. Buchaira, seu *Saba*, olim *Mareja*, *Maraeotis*, appellabatur.

4. Ale-

4. Alexandria, *Scanderik*, ciuitas maritima, ab Alexandro M. denominata, et olim quidem, bibliotheca duplici, Ptolemaica et Cleopatrina (illa conſtans ex VIIM. libris a C. Iul. Caeſaris milite, haec a Theodoſio M. igni exuſta) emporio et Pharo inſula, celebrata; nunc, portu duplici, Coptorumque Patriarchatu, clara, perpetua polluitur lue.

5. Roſetto, *Raſchid*, *Roſetum*, veterum *Canopus*, vrbs non magna quidem, admodum tamen populoſa, et mercatoribus frequentata, cum portu et arce, in occidentali oſtii ripa.

6. Damiate, *Damiata*, *Thamiatis*, diuerſa a Peluſio, vrbs copioſa, portu geminoque caſtro confirmata, et Hungarorum obſidione, quam Andreas II. Rex, anno 1219. fecerat, non minus Ludouici IX. Gallorum Regis expeditione nota, interiori Nili oſtio adpoſita eſt.

7. Peluſium, *Tanais* et *Heliopolis*, vrbes antiquitatis memoria illuſtres, in ruderibus iacent.

II. MEDIA REGIO, *Voſtani*, adpellata, *mediterraneum* regni tractum, inter Barbariam et ſinum Arabicum, occupat. Ad eius iurisdictionem ſpectant:

1. Cahiro, *Cayro*, *Elchaira*, *Alcair* cognominata, vrbs praecipua, ex Memphis et Babylonis nouae ruinis nata, cum *Bulac* portu, emporium eſt ingens, idque omnium in orbe terrarum facile ampliſſimum, iuxta diuortium Nili, in *mediterraneis*. Numerantur in ea 24000. plateae, templa Mahomedana totidem, incolae ſepties millies mille. Arcem XIIM. praefidiariorum, quibus ſummus regionis Praefectus moderatur, tenent.

2. Matharea, *Matarea*, vicus ad Cahiram proximus, B. Virginis Mariae atque D. Ioſephi, cum infante Ieſu, perfugio, et horto balſamino celebratus. Haec cum priore vrbe ab nonnullis inferiori adſcribitur regioni.

3. Suez, *Sueſia*, vrbs parua quidem, ſed frequens, et olim, aduectis ex India mercibus, celebris, nauali inſtructa

structa armamentario, ad *ortum*, in sinus Arabici apice, duobus cum portibus.

4. Colsum, *Clysma*, vrbs eximia, a qua, sinus Arabicus, nomen accepit, prope ad *Azyruth*, vbi populus Israelitarum, mare Arabicum transiuerat, sita est.

5. Labyrinthus, *Labyrinth*, admirandi operis, rudus inane, prope ad Querron lacum, cis fluuium Nilum, *occasum* versus, de quo vid Plin. Hist. nat. l. 36. c. 13.

6. Querron, *Kern*, *Moeris*, lacus, humaua factus industria.

7. Fium, *Dionysias* veterum, oppidum mediocre.

8. Giza, *Giza*, locus, in quo, antiquae Aegyptiorum pyramides, exstant. De his paucula. Erant numero ad M. Tres aliis praestantiores existunt. Maximae altitudo est 520. pedum, latitudo 682. Ascenditur 250. gradibus. Conclauia habet mirifice exstructa; plurima sunt marmorea, porphyrio ornata. Eam 360000. viri annis 20. aedificasse perhibentur. conf. Plin Hist. l. 36. c. 12.

II. SVPERIOR REGIO, *Said* nominata, in *australem* immergitur agrum, vsque ad Nubiam extensa. In qua:

1. Siuth, *Said*, *Siuthum*, vrbs mediocris, in medio regni, in *occidentali* fluminis Nili ripa.

2. Asna, *Assena*, *Nassa*, vrbs munita et diues, ad ortum.

3. Cossir, *Chosair*, *Albus Portus*, quem nonnulli *Berenicen* vocant, vrbs insignis, et portu clara.

4. Armant, *Hermonthis*, rudus in occidentali Nili ripa.

5. Girge, *Gergè*, *Georga*, oppidum, in eadem Nili ripa.

6. Thebe, *Diospolis*, inde, inter Canam et Assuanam stetisse dicitur. Olim centum habebat portas.

7. Ca-

7. Cana, *Coene vetus*, seu *Coptus*, vrbs frequens, Nilo adsita, a qua Copti Christiani Aegyptiorum, nomen traxere.

8. Assuana, *Syene*, fluuio Nilo, prope ad *Cataractam maiorem* atque *minorem*, adposita.

9. Igdid, *Adhad*, et *Ibrim*, *Rim*, loca limitanea, ad *austrum*, prospectant, vltra *Keen* populum.

10. Suquan, *Suquana*, mercatu celebris et portu.

§. VI.

Adiicitur, *vrbium* praecipuarum in *Aegypto*, tabula.

1. *Patriarchatus*, ALEXANDRINVS, hodie quidem Coptorum Presbyteris praefectus, quondam vero, ex summis quatuor Patriarchatibus vnus, ARCHIEPISCOPATVS METROPOLITANOS XII. ambitu suo complectebatur. Eorum nomina sunt. 1. PELVSIVM, in Prouincia *Stamnicae*, cum diuersis Episcopatibus. 2. LEONTO, in eadem Stamnicae prouincia, cum variis Episcopatibus. 3. ALEXANDRIA, prouincia Aegypti, quae ceterarum caput. 4. OXIRICHVS, in prouincia *Arcadiae*, cum compluribus Episcopis. 5. PTOLEMAIS, in prouincia *Thebaidis*, cum Episcopatibus suis. 6. DARINCO, in prouincia *Lybiae*, cum nonnullis Episcopatibus. 7. MARICO, et 8. TONESVS, intra Nili ostia sita. 9. DAMIATA. 10. MARE RVBRVM. 11. PHARAS. 12. ARE.

2. *Metropoles*: Cahiro, totius Africae amplissima.

3. *Portus*: Port Alberton, Alexandria, Rosette, Damiate, Suez, Bulac ad Nilum, Suquan.

§. VII.

Quod, ad *naturalem* Aegypti *statum*, adtinet:

1. Regio *campestris*, in qua, solis accessu, ac recessu, frigoris atque caloris modus *temperatur*; per pluuias

(a Februario tamen ad vsque Nouembrem haud pluit) et ſtatas Nili *excundationes*, agros quidem fertiles vberrimosque, *minus* tamen *ſalutares* habet, (etſi aquae Nili, vt viris pinguedinem, ſic feminis dicuntur omnino adferre foecunditatem, vt hae quidem plerumque tergeminam edant prolem,) Hinc namque orta, ex *putredine* lacunarum, *peſtilentia*, in Turciam, et iſthinc, in *Europam* atque *Hungariam*, traducitur.

2. Adfert ager ſegetum laetus, in *vegetabilibus*, frumentum, vitim, mala citrea, aurantia, nuces, fabas Caffe, melones, cucumeres, goſſypium, linum, cannabim, biblum, xilobalſamum, opobalſamum, gummi Arabicum, ſaccharum, daturam item, qua ſi quispiam vtitur, 24. horis inops mentis ſenſuumque euadit, addab, herba letifera, et foeniculum ſeenes; in *animantibus*, pecus, oues, equos, camelos, dromedarios, bubalos, leones, tigrides, leopardos, pantheras, elephantes, ſimias caudatas, kynocephalos, hippopotamos, amphibia, equino capite, boue maiores, ſex dentibus ex ore eminentibus, inſtructos, crocodilos, 20. vlnas longos, mire aſtutos, chamaeleontes verſicolores, inſectis infeſtos, capreolos moſchi, ichneumonem, ſeu murem aegyptiacum, crocodilorum maximum hoſtem, ſtruthiones, aues ſilueſtres, et quae in furnis arte fabricatis, numero ad mille vno tempore excluduntur, gallinas Aegyptiacas; in *foſſilibus*, ſmaragdum, ſardonichem, amethyſtum, ſardam, iaſpidem, opalum, chalcedonium, alabaſtrum, onychem Memphiticum, marmor, lapidem calaminarem metallicum, *zein* dictum, qui, aes cyprium, multo magis colorat, quam cadmia.

3. Inhabitant regionem gentes variae: *Aegyptii*, quorum pars dicuntur *Copti*, corpore ſubfuſci, obeſi tamen, a priſca maiorem virtute, ad deſidiam, libidinem et polygamiam, degenerarunt. 2. *Arabes*, rei ruſticae, et interdum furto atque rapinae, cumprimis *Beduini*, Cziganis Europaeorum ſimiles, dediti ſunt. *Mauri* ex Hiſpania extorres, vt plurimum mancipiorum loco habentur, venumque, pecudum modo, exponuntur.

Tur-

Turcae, cum *Armeniis* atque *Graecis*, negotiationem promouent. *Iudaeorum* incondita multitudo, ſolis oppidis atque vrbibus continetur.

4. Sermonis varii, cumprimis vero *Arabici* atque *Coptici*, vſus eſt, inter diuerſas Aegypti nationes.

§. VIII.

Quoad *ciuilem* Aegypti *ſtatum*:

1. Redacta anno 1717. in *Prouinciam* Turcorum Aegyptus, a *Praetore* et *Collegio Status*, id eſt, a *Beglerbego* et *Divan*, poteſtate vicaria adminiſtratur.

2. Reditus publici, ex *tributo*, vectigalibus, *animantibus mactatis* (cutis caputque pecudis principi cedit) et contractibus negotiatorum (25. fl. pro 100.) magno in aerarium Imperatoris proueniunt numero. Aetate noſtra octo milliones flor. Rhen. ſupra haec, amplius ducenties millia medimnorum frumenti aeſtimantur.

3. Ad continendam in *obſequio* prouinciam, 12000. praeſidiariorum, in vrbe *Cahiro*; 3000. in *Suquan* munitione, aduerſus hoſtes excubant.

4. Religio *Mahometana*, ſimul cum *Iudaica* et *Chriſtiana*, apud diuerſos Aegypti inhabitatores, locum habet. Chriſtiani, in *Coptos* indigenas, et *Armenios* atque *Graecos* inquilinos, diſtinguuntur. Priores, accepta a *Copto* Doctore denominatione, *circumciſionem* virorum ac feminarum, cum *baptismo* coniungunt, vſique ſermone vernaculo, *Patriarcham Alexandrinum*, ſummum in ſacris Antiſtitem venerantur.

5. Priſcae *Aegyptiorum ſapientiae*, qua omnes antecedebant nationes, in ſumma temporis hodierni *ignorantia*, praeter inſignia, in *pyramidibus*, *obeliſciſ*, *corporibus* aromate vario tinctis, *mumias* dicimus, atque *nummis labyrinthisque* ſubterraneis, monumenta, nihil ſupereſt reliquum.

6. Nummi Turciae et Barbariae, Europaei item in vsu sunt, apud Aegyptios, in negotiatione.

SECTIO V.

DE

AETHIOPIA ANTERIORE ORIENTALI,

Speciatim,

NVBIA.

§. I.

INFERIOR AFRICAE PARS, quae sequitur, in mediterranea atque meridiem, vsque ad Oceanum Aethiopicum immersa, nomen AETHIOPIAE vsurpat.

§. II.

AETHIOPIA, longe lateque, per inferiorem Africae partem extensa, pro ratione situs, in ANTERIOREM et VLTERIOREM, distinguitur.

1. Ad ANTERIOREM AETHIOPIAM, quae est in *oriente*, pertinent: NVBIA et ABESSINIA: ad eam vero, quae ad occasum respicit, NIGRITIA et GVINEA SVPERIOR.

2. In VLTERIORE AETHIOPIA, occurrunt: Littora AIAN, ZANGEBAR, Imperia MONOEMVGI et MONOMOTAPA, Littora CAFFERIAE et CONGO.

§. III.

NVBIA, *Naubia*, seruato antiquo cognomine, ab Aegypto, ad Abessiniam, inter sinum Arabicum, et Terram Nigritarum, remouetur, longa 140. milliaria, lata 120.

§. IV.

Transmittit, per mediam regionem, fluuios duos.

1. Ni-

1. Nilus, *Abawi*, qui, ex Abeſſinia, praecipiti impetu illabitur, fluuius eſt, hic locorum, et tortuoſus et ſyrtuoſus: in quo, duae cataractae maiores, eum faciunt minus nauigabilem. Caeterum, flumen hoc, aquarum inductionibus, terris foecunditatem dare aſſolet.

2. Tacaze, *Takezel*, qui et *Atbara*, *Aſtaborat*, a meridie ad occidentem flexus, in Nilum influit.

§. V.

Diſpeſcitur, pro ſitu loci, in SENNAR et DEQVIN, REGNA II. Mediterranea, et Partem litoris ABEX borealem.

I. SENNAR REGNVM, *Sonnar*, *Nubia*, Portugallis *Fundi*, vel *Fungi* dictum, ſuperiorem regionis partem, cum praecipuis occupauit vrbibus.

1. Bugia, *Buhia*, tractus gentis Nomadicae, ad *aquilonem*.

2. Barabia, *Barabua*, tractus ſecundus, gentis cognominis, in mediterraneis, flumine Nilo diuiditur.

3. Dongola, *Doncala*, vrbs magna, X. vtpote M. domuum, mercatuque clara, ad Nilum flumen ſedet.

4. Ialac, *Ialaca*, oppidum eximium, in inſula Nili.

5. Guerre, *Merroe*, vrbs formoſa atque inſula.

6. Sennar, *Sonnar*, quibusdam, *Nubia*, *Naubia*, metropolis, ſedesque regia, admodum magna et copioſa, quam fluuius Nilus adluit.

II. DEQVIN, DERQVIN REGNVM, in tractu meridionali iacet. In quo obſeruaueris:

1. Dequin, *Derquin*, vrbs princeps, quae regnum denominat.

2. Bugia, *Buhia*, gens, hic quoque quaeritur.

III. ABEX, ABESSINII LITTORIS PARS BOREALIS, ad Nubiam pertinet, longa C. lata L. milliaria, vbi:

1. Sua-

1. Suaquem, *Suaquen*, *Suaquema*, emporium et portus, in possessione Turcorum, praesidio 3000. militum praetorianorum, cum tractu *Bafarzan*, custoditur.

2. Baylour, regni *Dancalici* caput, cum portu.

§. VI.

Exponatur, *vrbium* praecipuarum, in *Nubiae* regno, tabula.

1. *Metropoles:* Sennar, Dequin.

2. *Portus:* Suaquem, Turcorum.

§. VII.

Quod, *naturalem* Nubiae *statum*, concernit.

1. Regio, in qua dies *calidissimi*, ac noctes *temperatae*, qua flumine Nilo rigatur, sic satis rerum omnium fertilis est, intus, vastis impedita solitudinibus, feris magis, quam hominibus domicilium praebet.

2. Fert ager eius, in *vegetabilibus*, frumentum, linum, santalum, cannam, saccharum, zibethum; in *animantibus*, leones, tigrides, pantheras, camelos eteginos et dromedarios, (hi ceteris sunt velociores, quod die vno ad 30. milliaria emetiri poterunt) crocodilos, equos; in *fossilibus*, scobem auream, lentumque venenum, mirae efficacitatis, cuius vncia centum numis aureis venit.

3. Incolae, *statura parui*, et corpore facieque *adusti*, non minus ad *militiam*, quam ad *operas rusticas*, apti sunt promtique.

4. Sermo, quo colloquuntur, partim cum *Aegyptiis*, partim cum *Abessinis*, communis est.

§. VIII.

Quoad *statum*, in regno Nubiae, *ciuilem:*

1. Re-

1. Regimen Nubiae *monarchicum*, in duo tamen *Regna* diuiſum, ab vno Principe, titulo adminiſtratur regio.

2. Vires, quae belli tempore, ad *centum* militum *millia* augentur, *foedere Abeſſiniorum*, aduerſus *Turcas*, quorum potentia formidabilis eſt, confirmari debent.

3. Religio *Chriſtiana*, qua numen diuinum, primum a Nubiis colebatur, per incuriam Chriſtianorum, in mixtum, ex *Chriſtianiſmo*, *Iudaiſmo*, *Mahometaniſmo* et *Paganiſmo*, nouae religionis chaos, degeneraut.

4. Nummorum, partim *Turcicorum*, partim *Barbaricae* Africanorum, vſus eſt in Nubia. Alioquin, Nubii, ſicuti Abeſſinii, aurum rude, cum mercibus in negotiatione permutant.

SECTIO VI.

DE

ABESSINIA.

§. I.

ABESSINIA, *Abyſſinia*, *Habeſſinia*, *Abaſſia*, vel *Aber*, a Nubia, in auſtrum, inter Aethiopiam Mediterraneam, et ſinum Arabicum tendit, Imperii titulo ornata; cuius latitudo 120, longitudo 230 milliarium exiſtimatur.

§. II.

Sinu *Arabico*, in orientali ſubſtricta cardine, flumen Nilum emittit.

1. Nilus, *Abawi*, *Aſtaſobas*, ex *Haik* et *Dambea* lacubus effuſus, per regionem mediam, in Regnum Nubiae, aquilonari effunditur latere.

2. Maleg, *Albus fluuius*, in Nilum influit; *Hawaſch* amnis, terram in tractu auſtrali ſubit.

§. III.

§. III.

Distinguitur, pro iurisdictionis ratione, in ABESSINIAM et GALLANAM REGIONES, II. PROVINCIIS MINORIBVS, vtrinque discretas. Sunt, qui Imperium Abyssiniae in 30 diuidunt regna.

§. IV.

ABESSINIA REGIO, Imperatori, quem indigenae *Negutz*, hoc est, magnum Regem vocant, in ora superiore subiecta, REGNA XI., et praeterea, ABEX LITORIS PARTEM AVSTRALEM, complectitur.

I. REGNA III. cum PROVINCIA I. ad *septentrionem* iacent, infra Nubiam.

1. Schankala, *Ximenche*, Regnum, in eoque, gens Nomadica, cum *Amajen* vrbe, magna populosaque.

2. Dambea, *Dembea*, *Dembega Regnum*, iuxta lacum cognominem, vrbium frequentia, et sede imperatoria, cultissimum est. Florent in eo

3. Gondar, *Gonthar*, *Dencas*, et *Amba Marian*, vrbes, in quarum circuitu, Imperator sub tentoriis numero ad 6000 habitare solet, licet *Gondar* sit sedes primaria.

4. Debsan, *Debsana*, sedes Patriarchae Abessinorum.

5. Vekna, *Mons*, cum arce *Amba Guexen*, educationi et custodiae regiorum filiorum destinata.

6. Tenda, *Tenda*, collegio Societatis Iesu, quondam illic excitato, nota.

7. Bagemder, *Bagemdri*, *Regnum*, cum vrbe huius nominis, ad flumen Nilum.

8. Samen, *Regnum*, in limite Nubiae, cum vrbe eximia, a qua denominatur.

II. REGNA II. cum PROVINCIA I. ad *ortum* prospiciunt.

1. Mi-

1. Midrabahr, *Prouincia Maritima*, a Bahr Nagaſch Praefecto maris, *Bahrnagaſſo*, per errorem adpellata.

2. Tegre *Regnum* prope ad Samen, ad cuius ditionem pertinent:

3. Axum, *Achum*, *Auxuma*, quondam regia, nunc vicus exilis.

4. Sabaim, vrbs, in qua Maquede regina, quae ad Salomonem adierat, ſedem habuiſſe perhibetur.

5. Dubarova, *Dubarwa*, vrbs eximia, ad *ortum* conuerſa.

6. Fremona, *S. Frumentii*, olim, collegio P. P. Ieſuitarum fuerat ornata.

7. Bugna, *Regnum*, inde ſequitur.

III. REGNA IV. in *mediterranea* immerguntur, iſto ordine:

1. Amara, *Amhara*, *Regnum*, in medio Abeſſiniae. Vbi:

2. Amba Guexen, ad *Amaram* vrbem, arx regia, in qua, olim Principes iuuentutis educabantur.

3. Haik, *Lacus*, in cuius vicinia Nilus emanat, ad dextram.

4. Walacka, *Regnum*, inde ſequitur, ad laeuam.

5. Schoa, *Xoa*, *Chaa*, *Saba*, *Regnum*, infra Walackam.

6. Gojame, *Goyaume*, *Gojama*, *Regnum*, in quo, alter Nili ramus, prope ad lacum Dambea ſcaturit, magis ad laeuam.

IV. REGNVM I. cum PROVINCIA I. *occaſum* reſpicit. Vbi:

1. Gonga, *Gonganum Regnum*, verſus *occaſum* conuertitur.

2. Falasjan, *Fazulo*, *Prouincia*, quam Iudaei fugitiui incolunt.

§. V.

§. V.

GALLANA REGIO, a *Gallis* seu *Gallanis*, excusso iugo occupata, cum Abessiniae litore meridionali, ab *ortu*, in *occasum*, per oram *australem* extenditur, PROVINCIIS II. definita.

I. ABEX, ABESSINI LITORIS PARS MERIDIONALIS, latere *orientali*, iuxta sinum Arabicum, vsque ad litus Ayan, excurrit.

1. Dahalao, *Dalaca*, *Prouincia*, sui iuris, Christianae religioni addicta est.

2. Matsua, *Mazave*, insula, in ditione Turcica.

3. Erroco, *Arcoco*, *Arquico*, oppidum frequens, inter montes, Turcis adaeque obsequitur.

II. GALLANA PROVINCIA, a *Gallis* seu *Gallanis* occupata, in diuersas scinditur Prouincias. Quarum primariae sunt:

1. Hangot, *Angot*, cum *Ghedin* tractu, iuxta Daucale regnum, in *occasu*, regni titulo gaudet, habetque vrbem cognominem.

2. Dawaro, cum *Ifat*, *Gan*, *Baly*, et *Fatagar*, regiunculis, in limite Ayan, ad *australum*.

3. Cambat, cum *Gombo* vel *Ogge*, *Hadya*, *Curaghe*, et *Contsch*, circumiacentibus terris.

4. Gafar, cum *Ganz* et *Damot* tractibus, in *mediterraneis*.

5. Bizamo, cum *Galla* et *Enarea*, prouinciolis, in Aethiopiae Mediterraneae finibus.

§. VI.

Additur, *vrbium* praecipuarum in *Abessinia*, tabula.

1. *Patriarchatus* Abessiniorum vnus, in Debsan.

2. *Scho-*

2. *Scholae academicae*, cum totidem Bibliothecis, II. Axum atque Embie vrbes.

3. *Metropoles:* Gontar, Dencas, Amba, Marjan, Axum, ſedes regiae, Wekna mons, palatium Principum iuventutis.

4. *Portus* eximius: Babul, ſeu Baylur.

§. VII.

Quod, ad *naturalem* Abeſſiniae *ſtatum*, adtinet.

1. Regio, in qua incredibilis *temperatio* caloris, adeo foecundum habet agrum: vt, plerisque in locis, *duae* tresue *meſſes*, ſingulis annis fiant.

2. Progenerat itaque terra, quae votum aequat fertilitatis, in rebus *vegetabilibus*, frumentum, vitim, mala citrea, aurantia, punica, perſica, ficus, vuas paſſas, zingiber, thus, myrrham, cannam, goſſypium, linum, cumprimis folia Sennes; in *animantibus*, elephantes, leones, pantheras, lopardos, tigrides, rhinocerotes, ceruos, capras, ſimios, lupos, vulpes, feles ſilueſtres, lepores, porcos, crocodilos, hyppopotamos: in *foſſilibus*, aurum, argentum, plumbum, ferrum, grana in fluuiis aurea, ammochryſum, aliaque metalla, et inter lapides, hyacinthum, ſaphirum, topazium, chryſolitum, heliotropium, thyitem, iaſpidem, ſardam, cryſtallum, magnetem, alium attrahentem magnetem, garamantitem, ſeu ſandaſtron.

3. Populi *indigenae*, *corpore* quidem *fuſco*, *animo* tamen *candido* hilarique praediti, quo ad *voluntatem*, honeſtate et comitate ornati ſunt: quamuis eorum quidam, deſidiae ac *polygamiae* crimine, polluti eſſe perhibeantur.

4. Sermo *Abeſſiniorum* vernaculus, cum *Ebraeorum* et *Chaldaeorum* idiomate, cognationem quandam habere dicitur, vti omnino a dextra ſiniſtrorſum literas pingunt.

§. VIII.

Quoad *ciuilem*, Abessiniae *statum*:

1. Regimen Abessiniae, ab Imperatore Christiano, quem *Magnum Neguz* nominant, *despotica* administratur *auctoritate*.

2. Eius imperio, *Reges* atque *Respublicae*, vasalagii; *incolae* reliqui, seruitutis subsunt iure. *Gallani*, iurati Abessinorum hostes, excusso istorum iugo, iure suo viuunt.

3. Belli tempore, facile, armatorum 600000. aduersus *Turcos* atque *Gallanos*, in castra cogi poterunt. Praetorianorum sunt pacis tempore 12000.

4. Religio Abessiniorum *Christiana*, cui Patriarcha, Summus sacrorum Antistes, *Abuma* a suis dictus, praeest, magis cum Aegyptiorum *Coptica*, quam cum *Europaeorum*, seu Occidentali seu Orientali Ecclesia, quoad doctrinam, circumcisionem ritusque, conuenire videtur. Neque desunt quidam, inter Abessinios Christianos, *Iudaei*, *Mahometani*, atque *Pagani*, quorum hi, stabilitis in regno Gojame antiquis sedibus, solem adorant.

5. Litterae et viri *litterati*, maiorem in modum amantur ab Abessiniis. Quarum excolendarum caussa, duae in *Axum*, atque *Embie* vrbibus, scholae academicae, cum totidem Bibliothecis, posit. florent. MSS. tamen Abrahami, Salomonis et Esdrae, quibus gloriantur, subleste, sine dubio, erunt fidei. De caetero, *aera* vtuntur *Martyrum*, quae in annum Christi 284. incidit, et annum cum 9. Septembris inchoant.

6. Rei *nummariae*, nullus in Abessinia locus est. Aurum aliudque metallum rude, in emtione ac venditione vsurpatur. Prostat nihilominus, *nummus Abessinius* cruce signatus, cum nomine ac titulo M. Neguz.

7. Im-

7. Imperator Abeſſiniorum, non *Ioannes Presbyter*, verum NEGVZ, MAGNVS NEGVSCH, dicitur, eſtque Chriſtianus.

SECTIO VII.

DE

AETHIOPIA VLTERIORE.

Speciatim

AYAN ET ZANGVEBAR ORA LITORALI.

§. I.

AETHIOPIA VLTERIOR, quae medium Africae, inter Oceanum Aethiopicum atque Indicum occupavit: in ORAM LITORALEM, AETHIOPIAM MEDITERRANEAM, CAFFERIAM, et GVINEAM INFERIOREM, diſtinguitur.

§. II.

ORA LITORALIS, quae in Indico et Aethiopico Oceano continetur, ab Abeſſinia, vsque ad CAFFERIAM, cum AYAN et ZANGVEBAR LITORIBVS II. *orientali* procedit latere.

§. III.

AYAN LITVS, infra Abeſſiniam, REGNIS IV. definitur.

I. ADEL, REGNVM, a freto ſinus Arabici, vsque ad Oceanum Indicum, ſub Turcorum, inde ab anno 1535. clientela, in ſuperiore iacet ora.

1. Babel Mandab, *Babel Mendel*, inſula, fretum ſinus Arabici claudit.

2. Zeila, *Zeyla*, emporium inſigne, in maritima ſinus Arabici ora.

3. Barbora, *Barbara*, vrbs mercatu nobilis, cum portu capaci, inde sequitur.

4. Adela, regni huius vrbs primaria, et sedes regia, in mediterranea recessit.

II. ADEA, HADIA, REGNVM, tributum Imperatori Abyssiniae pendit. Vbi:

Adea, *Hadya*, metropolis, et Regis sedes.

III. MAGADOXO, REGNVM, auri et rerum aliarum diues, prope Aequatorem, sui iuris, in quo:

1. Magadoxo, *Magadoxa*, vrbs ampla, beneque munita, sede regia, et emporio clara.

2. Bandel, Bandela, portus mercatu nobilis.

IV. BRAVA, REGNVM, quod formam habet Reipublicae, et Portugallis, tributi nomine 4000. pondo auri quotannis soluit, vbi:

Brava, seu *Barama*, vrbs magna et diues.

§. IV.

ZANGHE, ZINGHE, ZANGEBAHR, ZANGVEBAR LITVS, accepto a *Zingi* natione cognomine, vsque ad Cafferiae fines, *orientali* procurrit latere, in REGNA VIII. distinctum.

I. CHELIETE, REGNVM, proximum littori Ajan, cuius Rex, cum sibi subditis, Mahomedanae religioni addictus est.

II. MELINDE, REGNVM, cuius Rex Portugallis singularem libertatem negotiandi concedit, vbi:

1. Melinde, *Melinda*, vrbs ampla, sede regia, et 17. Portugall. templis clara, moenibus, portu, castelloque firmata.

2. Iuba, *Iuba Regio*, sub Aequatore.

3. Patte, *Insula*, a Portugalliis, anno 1728. recuperata.

II.

III. MONBAZA, REGNVM, a Portugallis, anno 1729. recuperatum. In quo:

1. Monbaza, *Mombaza*, ciuitas magna, diues, et probe munita, Regis sede clara.

2. Pemba, et *Zanzibar*, Insulae duae, loco inferiore.

IV. QVILOA, REGNVM, Portugallorum vectigale. Eius sunt:

1. Quiloa, *Vetus*, sedes est regia, in continente.

2. Quiloa, *Noua*, munitio cum portu, insulae adposita, in potestate Portugallorum.

V. MONGALE, REGNVM, infra amnem cognominem. In cuius tractu sunt:

1. Mongale, *Mongala*, metropolis, et sedes regia, cum portu, ad amnem huius nominis, iuxta *Macuas* gentem.

2. Matemo, et *Quirimba*, insulae.

VI. MORVCA, quod et MOSAMBIQVE, REGNVM, ex Macua gente, Portugallis subiectum. Incolae eius corpora pingunt, et carne humana libenter vescuntur. Vbi:

1. Mosambique, *Mozambique*, metropolis, portu et munitionibus validissimis firmata, sedem Gubernatori Portugallorum exhibet.

2. Dud, *Duda*, vrbecula in continente, Regem excipit.

VII. ANGOCHE, ANGOS, REGNVM, ex continente, in insulas promotum. In quo:

Angoche, *Angos*, metropolis, et insula, in Oceano.

VIII. QVILIMANE, REGIO extrema, in *austro*, ostiis fluminis Cuamae terminatur. Vbi:

1. Quilimane, *Quilimana*, vrbs primaria.

2. Macua Galli, vel *Guiloa* gentes.

§. V.

Subnectitur, *vrbium* praecipuarum, in *Ora Litorali*, tabula.

1. *Metropoles Regnorum:* Adela, Adea, Magadoxo, Brawa, Melinde, Monbaza, Quiloa, Mongale, Mosambique, Angoche, Quilimane.

2. *Portus:* Barbora, Melinde, Quiloa Noua, Mongale, Mosambique.

§. VI.

Quod, ad *naturalem* Orae Litoralis *statum*, adtinet:

1. Regio Litoralis, linea *Aequinoctiali*, in duas partes diuisa, in ora *Ayan*, propter fertilitatem, non minus agrariae, quam rei pecuariae commoda est; in ora vero *Zanguebar*, minus salutaris esse obseruatur.

2. Res, quas tellus litoralis fert, in *vegetabilibus* sunt, frumentum, milium, poma citrea, aurantia, piper, ambra, thus, aliique odores; in *animantibus*, pecus, cumprimis oues ingentis magnitudinis, quarum vel cauda saepe 30 libras ponderat, ferae, capri, porci, apes; in *mineralibus*, aurum obryzum, auri ramenta, argentum, aes cyprium, et ebur.

3. Incolae regionis, partim *Arabes* et *Mauri*; partim *Zingi Mocuae*, aliique indigenae, atrato corpore, crispa coma, proiectisque labris, nudi incedunt: quidam vero eorum antropophagorum more viuunt. Accedunt ad eos *Portugalli* quoque, qui anno 1497. Litora Zanguebariae, Praefecto classis *Vasque de Gama*, detexerunt.

§. VII.

Quoad, *statum* Orae Litoralis *ciuilem:*

1. Regimen Orae Litoralis, inter *Reges* vtriusque Litoris, *vndecim*, et Portugallos atque Turcos, diuiditur. Rex *Magadoxo*, sui iuris est. Rex *Adel*, ab obsequio Abessiniae, ad clientelam Turcorum transiit.

2. Vi-

2. Vires *Afrorum*, in Ora Litorali, adeo *Portugallorum* dominatu attenuatae sunt: vt Reges, ac nationes, quamuis potentes, nihil aduersus Europaeos possint moliri.

3. Religio, qua numen diuinum colitur, apud incolas, *Mahometana*, apud Portugallos, eosque, quos ad notitiam Christi perduxerunt, *Christiana Catholica*, obseruatur.

4. Nummorum nusquam, in Ora Litorali, nisi inter Europaeos, vsus est. *Indigenae*, namque, *permutationem* rerum, in commerciis, adhibent.

SECTIO VIII.

DE

MONOEMVGI ET MONOMOTAPA IMPERIIS.

§. I.

IMPERIVM MONOEMVGI, alii *Regnum* adpellant, hucdum incompertae magnitudinis, terminos habet ab oriente *Zanguebariam*, a meridie *Cafferiam* et *Monomotopam*; ab occidente et septemtrione, *Littora Congo*, *Abyssiniamque*.

§. II.

MONOEMVGI III. complectitur *Regna*, vtpote *Gorgam*, *Gazabale*, et *Tirutum*, in queis vrbes sunt praecipuae:

1. Gasabela, vrbs frequens et munita, regia sede memorabilis, propter *Zastan* lacum.

2. S. Martial, Portugallorum munitio.

3. Gorga, vrbs celebris, septaque operibus.

4. Tirut, *Tirutum*, eximia magnitudine.

§. III.

Regio palmarum, olei et vini ferax; incolae corporis magnitudine multum Europaeos superant, veste, maxima parte, sericea, ornati. De caetero religionis sunt barbarae. Ab Iagis, turpi natione, vtpote Antropophagis, plurima perpetiuntur mala.

§. IV.

Imperivm Monomotapa, terminis Monoemugi, Cafferiae, Congo, et Abyssiniae concluſum, insignis est amplitudinis.

§. V.

Ambitu suo plus minus 30. complectitur *regna*, quorum recensione nunc quidem supersedimus. Suffecerit loca notasse praecipua, in his:

1. Monomotapa, caput imperii, sedesque, emporium adhaec, splendidis aedificiis et bina Imperatoria arce inclyta.
2. Butua, affabre condita vrbs, aestiua Imperatoris sedes, ad boream.
3. Chateu de Portugall, arx defendendis mineris potissimum inseruiens.
4. Mossata, seu *Zimbaoe*, munitio valida non minus, ac variis exculta ornamentis.

§. VI.

Quod ad naturalem Imperii huius statum attinet:

1. Regio *Monomotapae*, iugis montium clausa, aerem habet temperatum salubremque: solum non minus rei agrariae, atque pecuariae multo commodissimum.
2. Exuberat ea rebus variis, praesertim vario arborum genere, calamellis mellitis, auroque, quod partim ex fodi-

fodinis longe feraciſſimis, partim ex fluminibus colligi ſolet.

3. Populi *indigenae* ſunt firmo corpore, ſtatura procera, colore fuſco. Bellorum auiditate flagrant, rei militaris haud ignari. Pernicitate ea ſunt, vt ſaepe curſu antecellant ſonipedem.

4. Sermo eſt barbarus, Europaeis parum cognitus.

§. VII.

Quoad *ciuilem* Monomotapae *ſtatum*:

1. Regimen eſt deſpoticum, et ſucceſſio haereditaria. Imperator maximo colitur honore, nec niſi genu poplite adiri poteſt. Dum vel ſternutat, non aula ſolum, ſed vrbs vniuerſa, in qua habitat, ſalutem apprecari iubetur.

2. Vires Monomotapae in virtute feminarum conſiſtunt, ex quibus 12000, cum 200 moloſſis ad regiam excubant, aliae Amazonum more, patriam defenſurae, in armis ſtant. At ſunt praeterea virorum quoque phalanges, ad quos conuocandos 20000 curſores aluntur.

3. Religio barbara principatum in hac regione obtinet. Numen *Atuno*, ſeu *Maziri* colitur, cum virgine *Peru*.

4. Nummorum nulla, apud populos incultos notitia. Pro quibus illi, partim metallum rude, partim gagatem, caeteraque huiusmodi, in pretio habent.

SECTIO IX.

DE

CAFFERIA PROPRIA.

§. I.

CAFFERIA, *Coſta de Caffares*, *Aethiopiae Vlterioris Pars*, accepto a *Caphar* Arabum, quod barba-

rum denotat, cognomine, in extremum *meridiem*, inter Aethiopicum atque Indicum Oceanum excurrit: assumtaque *cordis humani* forma, desinit in cuneum.

§. II.

Oceano *Aethiopico* atque *Indico*, ex triplici constricta latere, fluuios maiores duos, in tractu orientali effundit in pelagus.

1. Cuama, seu *Zambere*, *Empondo*, per Aethiopiae Interioris, Litorisque Zanguebar collimitium, in Oceanum desluit Indicum.

2. S. Laurentii, *Marquez*, *Magnitii*, in medio regionis natus, eodem latere, in pelagus cadit, et circa ostia, nomen *Manica*, vel *S. Spiritus*, assumit.

§. III.

Distinguitur regio plus minus 600. longa milliaria, si plaga coeli attendatur, in ORIENTALEM, AVSTRALEM, et OCCIDENTALEM.

§. IV.

ORIENTALIS inter montes, qui in ora superiore *Lupata*, seu *Spina Mundi* vocantur, et oceanum Indicum protensa, *Regna* VI. cum *terra incognita* continet. Illorum nomina sunt:

1. Manica in mediterraneis, et regione aurifera, versus montes.

2. Sofala, *Regnum* caeteris amplius, Portugallis obnoxium, cum *Zimbäoe* sede regia, et *Sofala* vrbe, inde ad Oceanum excurrit.

3. Quiteva, magis ad sinistram versus.

4. Sabia, in litore orientali.

5. Inhambane, in quo, *Inhaqua* Portugallorum, in limite Praefecturae Mosambiquensis, ad sinum fluuii S. Spiritus, extrema.

6. Bi-

6. Biri, infra fluuium S Laurentii, in mediterraneis, sedet.

TERRA, CAFFERIAE ORIENTALIS, INCOGNITA, et quidem,

1. Ara *Terra*, generali nomine dicta, eaque deserta, iuxta montes.

2. Fumorumnete, et *Natalis*, Terrae; in ora litorali.

3. Chainuquae, *Curiquae*, *Gassiquae*, Cafrorum Nomadum tribus.

§. V.

AVSTRALIS et OCCIDENTALIS REGIO, inter montes et Oceanum Aethiopicum, vsque ad fines Congo adsurgit, in diuersas diuisa DITIONES.

I. HOTTENTOTARVM NATIO, in extrema prouinciae ora, *austrum* versus consedit. Quo in tractu occurrunt:

1. Sonquae et *Susiquae*, *Hottentotae*, per meridionalem regionis oram propagati, qui cadauere, cruda carne, et radicibus cibisque similibus vitam tolerant.

2. Capo des Aiguilles, *Agulhas*, Promontorium Aciicularum, sub quo, acus magnetica nullam habet declinationem.

3. Capo di Bouna Speranca, *Promontorium seu Caput Bonae Spei*, Batauorum, *Hellenbock*, *Stellenbosch*, et olim *Cap. Tormentoso*, munimentum insigne, cum portu capaci, ab Hollandis, in extremo Africae angulo, vt nauigantibus in Indiam hospitium esset, anno 1653. constructum. Montium iuga, quae munitionem hanc ambiunt, a Germanis vocantur, *Teufelsberg*, *Tafelberg*, cuius vertex nube tectus indicium tempestatis marinae esse solet, et *Lövenberg*, in quo vigiliae aguntur.

II. CAFFARORVM NOMADVM TRIBVS, inde, latere *occidentali* adtolluntur.

1. Co-

1. Cochoquae, *Grigriquae*, *Odiquae* et *Iibiquae*, nationes, in tractu inferiore sedent.

2. Heusaquae, *Namaguae*, *Hancunquae*, gentes, vsque ad Tropicum Capricorni ascendunt.

III. REGIO DESERTA, *Vltra Tropicum Cancri*, postea sequitur. In qua:

1. Cuveo, *Desertum*, circa Tropicum Capricorni, quod, *Cabonae* Antropophagi, inhabitant.

2. Coneritan, *Desertum*, Sierrae promontorio obiectum.

3. Baso, *Desertum*, infra amnem Frio, seu frigido sinui exadiersum.

IV. REGIONES maxime OCCIDENTALES, ad Congo, vbi:

1. Matamann, Regnum, cuius Rex incertis vagatur sedibus. Abundat caeterum feris bestiis, vt sunt leones, tygrides, cet.

2. Varii populi, nomadum more viuentes, in his *Cimbebae*.

§. VI.

Quod ad *naturalem* Cafferiae *statum*, adtinet.

1. Regio Africae maxime *australis*, vltra Tropicum Capricorni remota, *aerem* habet a sole percalefactum, et *agrum* feracissimum: attamen propter *inculta* loca, sui dissimilem.

2. Fert, terra vberrima, et propter immensas opes, *Ophir* dicta, in *vegetabilibus*, frumentum, gramen, oryzam, milium, cannam, sacharum; in *animantibus*, pecus, feras, leones, tigrides, leopardos, elephantos, rhinocerotes, simios, struthiones, pisces, ceropithecos, ebur; in *mineralibus*, aurum obryzum, ramenta auri, argentum, cuprum, ferrum, aliaque mineralia nondum detecta.

3. In-

3. Incolae, *fubfuſculi* et *atrati*, variae ſunt indolis. Inter quos, *Cafri*, in diuerſas diſtincti tribus, barbari atque feri in alios, inter ſe humani. Horum crudeliſſimi ſunt *Hottentotae*, antropophagi, qui carne cruda veſcuntur, nullisque vſi legibus domibusque, apricantur in ſole. De caetero, viri pedibus valent, vt equum curſu adaequent, feminae vberibus, quae tergo iniecta infantibus fugenda praebent.

4. Sermo, *Congo Angolinus*, in Africa meridionali, *Hottentotenſis*, isque, a pronuntiatione maleagridibus propria, denominatus, apud Cafros, cumprimis Hottentotas, in vſu eſt.

§. VII.

Quoad *ciuilem* Cafferiae *ſtatum*:

1. Regimen Cafferiae, triplicis obſeruatur generis. *Monarchico Deſpoticum*, in Manicae, Sofalae atque Sabiae, regnis; *Ariſtocratico Democraticum*, in Cafrorum Tribubus; *Prouinciale*, in Portugallorum et Batauorum Ditionibus. Iſtius ſedes eſt, in *Promontorio Bonae Spei*; illius, *Maſambique*, in Zanguebar ora litorali.

2. Vires Caffarariae, pro ingenti colonorum multitudine, ſi diſciplina accederet, ſic facile augeri poſſent, vt peregrinis terrori inſeruirent. Hodie Europaeorum fractae ſunt potentia.

3. Religionis, pariter triplex in Cafferia diſcrimen eſt. 1. *Pagana*, in omnibus Cafferiae regionibus, etiam apud Hottentotas, locum habet, vtpote, qui, etſi vnius Dei notitiam habent, tamen ſolem, et lunam inprimis videntur quodammodo venerari. 2. *Mahometana*, in Manamotapae imperio, huic intermiſcetur. 3. *Chriſtiana*, in Portugallorum et Hollandorum coloniis ſedem poſuit: quam anno 1570. *Gonſaluo de Silua*, S. I. in regnum Manamotapae propagauit, ſacrificulorum idolomania ibidem ſtrangulatus.

4. Pro

4. Pro *nummis*, indigenae, partim *metallo* rudi, partim *succino*, vbi non est permutationi locus, in emtione ac venditione, vtuntur.

5. Tituli Regum Cafreriae vltimum sequuntur: 1. MANICAE Rex, vocatur *Chicanga*. 2. SOFALAE, *Quiteue*. 3. SABIAE, *Sedanda*.

SECTIO X.

DE

LITTORE CONGO.

§. I.

Regio haec, Aethiopiae Vlterioris pars, in regione *occidentali*, ad Oceanum sita, quam nonnulli a fluuio *Ghinne*, Guineam inferiorem nominant, Guinea, Abyssinia, et Cafferia concluditur.

§. II.

Aquae, quibus adluitur interluiturque, sunt:

1. Oceanus *Aethiopicus*, qui per lineam Aequinoctialem, in occasu, ab Atlantico distinguitur pelago.

2. Zaire, seu, *Barbela*, fluuius amne Coango auctus, in Oceanum Aethiopicum cadit.

§. III.

Distinguitur, pro loci positu, in MARITIMAM et MEDITERRANEAM Regiones II. Alii clarius et simplicius eandem partiuntur in regna *Loango*, *Congo*, et *Angola*.

§. IV.

REGIO MARITIMA, in occidentali latere, REGNA V. cum PROVINCIIS Minoribus complectitur.

I. LOANGO REGNVM, potenti subiectum Regi, in Guineae finibus. In quo occurrunt:

1. Bra-

1. Bramae, *Populi* antropophagi.

2. Loango, *Loanga*, metropolis, sedesque regia, cum arce iucundissimi prospectus, pulchre aedificata.

3. Maiumba, seu *Maimba*, vrbs mediterranea, cum portu.

4. Malemba, *Prouincia*, cum vrbe cognomine, populosa.

5. Back, *Backe*, seu *Minios*, Regio, incolas pumiliones, pygmeis veterum similes, habet.

II. CONGO REGNVM, idque Christianum; ad quod pertinent,

1. Sonho, seu *Songo*, vrbs prouinciae cognominis prima, ad Zaire fluminis ostia.

2. Pango, *Bungo*, vrbs pariter ac prouincia.

3. Sundi, et *Batta*, Ducatus duo, in mediterraneis.

4. Congo, seu *S. Saluador*, metropolis, decem Christianis ornata templis.

5. Pempa, *Marchionatus*; et Bamba, *Ducatus*, cum *Bomby*, Portugallorum.

III. ANGOLA, vel DONGO, *Regnum Christianum*, iuris Portugallici. In cuius ditione sunt:

1. Loanda S. Paul, *Loanda S. Pauli*, metropolis, situ et castello munita, in insula huius nominis, sede episcopi et Gubernatoris, mercatu item mancipiorum memorabilis.

2. Mapango, munitio celsae impositа rupi, sedesque regia.

3. Benguela, *Benguela Vetus*, a Portugallis inhabitatur.

4. S. Philippo, *Bengela Noua*, argenti diues, ab Hollandis colitur.

§. V.

REGIO MEDITERRANEA, per *orientalem* regionis oram proce-

procedit, in REGNVM I. et PROVINCIAS MINORES plures, scissa.

1. Prouinciae *Minores* sunt: Wamba, Dembo, Amulassa, Dembi, Bondo.

2. Matamba, *Regnum*, quod olim, *S. Maria* de *Matamba*, a Regina Nzingha constructa, ornabat, nunc Giaghi tenent populi.

§. VI.

Exponitur, *vrbium* praecipuarum, in *Littore Congo* tabula.

1. *Episcopatus* Ecclesiae Occidentalis II. S. Salvador, in Regno Congo; Laonda S. Paul, in Regno Angola, sub inspectione Archiepiscopi Olyssiponensis.

2. *Metropoles*: Loango, S. Salvador, Laonda S. Paul.

3. *Portus*: Maiumba, Loanda S. Paul, S. Philippo.

§. VII.

Quod, ad *naturalem* Littoris Congo *statum*, adtinet.

1. Regio, in medio Zonae *torridae*, Aequatori subiecta, quamuis propter feruidum solem, aestum *intolerabilem*, et in continente, *sabulum* tenacissimum habeat: in ora tamen litorali, vber est, soliquè feracis.

2. Ager, quem *imber*, inde a mense Martio, vsque ad Septembrem, vberat, in *vegetabilibus*, frumentum, milium, fabas, poma citrea et aurantia, vitim, palmas, coccos, fructus varii generis, cannam, sacharum; in *animantibus*, pecus, oues, bubalos, leones, tigrides, leopardos, simios, serpentes ingentis magnitudinis, hyppopotamos, crocodilos, balenas, syrenes, conchilia, pauones, psittacos, bombyces, cum serico eboreque; in *fossilibus*, argentum, cuprum, ferrum, stannum, plumbum, adamantes, chrystallum montanam, progenerat.

3. In-

3. Incolae, propter corpus aduſtum, *pernigri*, quamuis *robuſti*, *voluptati* tamen et *furto* cumprimis dediti eſſe dicuntur. Ceterum, contexunt eorum nonnulli, ex *foliis* et corticibus *arborum*, pannos, *Attalicis*, *Damaſcenis* et *Holoſericis* ſimiles, arte ſingulari.

4. Sermo, *Congo Angolinus*, vulgaris communisque eſt.

5. Portugalli et Angli, impoſitis orae litorali coloniis, *ebur*, cum rebus aliis, in Europam; Afrorum *mancipia*, in Americam, deuehunt.

§. VIII.

Quoad *ciuilem* Guineae Inferioris *ſtatum:*

1. Regiminis, in Littore Congo duplex eſt forma. 1. *Monarchiae* forma, in regno Congo; in regno Loango, Regi, qui Sardanapali vitam agere dicitur, foemina, quae *Maconda* vocatur, quaequae principi iniuſto ius abrogandi imperii habet, adiutrix curarum dari ſolet; in regno Angolae, Rex in ſuos ſupremo quidem vtitur imperio, at enimuero Portugallicae obnoxius poteſtati. 2. *Prouinciale*, tum *Portugallis*, in Angolam, aliasque Ditiones minores; tum *Anglis*, in regionem Cis Conzam amnem, competit.

2. Vires Guineae, adeo immenſae eſſe feruntur: vt praepotens Rex Congo, *tercenta*; Loango et Angola Reges, *ducentena* militum *millia*, in caſtra educant: quae tamen, octoginta Europaeorum millia, facile profligare poterunt.

3. Religio, 1. *Pagana*, per vniuerſam regionem prolata, in regno Malemba, *naturalis*; in aliis, *idololatrica* eſt. 2. *Chriſtiana*, Societatis Ieſu, cumprimis Barreyra S. I. induſtria, per Congo, et Angolam, regna, propagata floret. 3. *Mahometana*, cum vtraque permixta eſt.

4. Litteras, Emanuel Rex Portugalliae, qui *Collegium Sacerdotum* in vrbe S. Saluatoris poſuerat, miſſis in

regnum Congo libris, ac *viris eruditis*, propagare conabatur: quas tamen barbari, remissis in Portugalliam viris doctis, combustisque codicibus, contemsere. *Sacerdotes* namque eorum, Physiognomiam et Astrologiam, quam superstitiose, cum idololatria colunt, Europaeorum anteferunt sapientiae.

5. Nummorum, in Guinea Inferiore, *nullus* est inter indigenas valor. *Ferrum* illi, *auro* et *argento* anteferunt, et pro nummis, testas *conchiliorum*, vel *metallum* rude, in commercio rerum permutant.

SECTIO XI.

DE

AETHIOPIA ANTERIORE OCCIDENTALI,

Speciatim,

DE

GVINEA.

§. I.

AETHIOPIA ANTERIOR OCCIDENTALIS, quae, ab Oceano, ad Nubiam, inter Sarae Deserta, extenditur, in NIGRITIAM, atque GVINEAM distinguitur.

§. II.

GVINEA, Terra Nigritarum, in *septentrione*; Abyssinia, in *ortu*; Littore Congo, in *meridie*; Oceano Aethiopico et Atlantico, in *occasu*, definita, in ORAM OCCIDENTALEM et ORIENTALEM, diuiditur, longa 500. circiter milliaria, lata 80, ad 52. regna ambitu suo complectens, quorum praecipua sunt *Malaguette*, *Guinea propria*, *Benin* et *Biafara*.

§. III.

§. III.

Occidentalis Ora, per *Malaguettam* atque *Guineam proprie dictam* propagata, in Regiones Minores V. ſcinditur.

I. LITVS MONTIVM LEONVM, SERRA LIONA, in Regione Malagetta, ad occaſum, Regnis II. abſoluitur.

1. Mitombo, *Regnum*, inter Nigritiam et Oceanum: in quo, Alago, *Alagoas*, Portugallorum, in mediterraneis.

2. Quaja, *Regnum Maius*, in cuius tractu, *Carous* habitat populus.

II. LITVS GRANORVM, *Coſte de Grains*, *Greyn Küſt*, *Malagetta proprie dicta*, *Maniguette*, a pipere vel cardamomo denominatum, *Regna* II. cum Ditionibus quibusdam continet.

1. Manoa, *Regnum*, in mediterranea remotum eſt.

2. Folgia, *Regnum*, populi Carous patria eſt.

3. Dieppe, *Dieppe Parua*, *Tabo Dragou*, maritima, in poteſtate Gallorum.

4. Sanguin, *Regnum Maius*, in cuius litoribus Galli poſſident, *Grand Seſtre*, *Petit Seſtre*, *Cron Seſtre*, et Baffa, Boffou, oppida.

III. LITVS DENTIVM, vel EBORIS, *Cote des Dens*, *Tandkuſt*, et Littvs Probae Gentis, *die Quaqua-Küſte*, *Cote de bonne Gens*, in Guinea ſtrictius dicta. In quibus:

1. Cap de Palmas, *Promontorium Palmarum*, primum in ora litorali.

2. Adow, ſeu *Quaqua*, a ſalutationis formula cognominata.

3. Cap Lahou, *Promontorium Lahou*, in quo, magna eboris commercia habentur.

IV. LITVS AVREVM, *Coste d' Or*, *Goud Kust*, complura numerat Regna, vrbesque maritimas, quarum pleraeque ad Europaeorum pertinent ditionem.

1. Isliny, *Gallorum*, sed derelictum, in regno *Fetu*.

2. Friedrichsburg, *Brandeburgensium* pridem, nunc Batauorum, in eodem regno.

3. Cap de Trois Puntas, *Promontorium Trium Capitum*, seu *Triceps*, in eadem ora prominet.

4. S. Georgio della Minas, *Mina*, castellum primarium, a Portugallis constructum, iam tamen in potestate Batauorum, cum portu tranquillo et tuto, aeque in regno Fetu.

5. Conradsburg, *Conradi castrum*, iuris Batauici, ibidem.

6. Capo Corso, Promontorium et castellum primarium Anglorum, in regno Fetu.

7. Friedricsburg, *Friederichsberg*, munitio Danorum, in regione Sabde.

8. Fort Nassau, et *Cormantii*, castra duo Batauorum.

9. Castell, *Castellum*, iuris Brittannici, in regno Aquambou.

10. Creuecoeur, *Castellum*, ditionis Batauicae, in eodem regno Aquambou.

11. Christiansburg, *Castellum* iuris Danici, in modo dicto regno.

V. REGNA MEDITERRANEA, IV. in eodem Litore aureo.

1. Asiante, *Regnum*, in regione mediterranea, praecipuum.

2. Dinkira, *Regnum*, ordine secundum.

3. Akim, *Acannis*, *Magna* et *Parua*, Prouincia.

4. Aquambou, *Aquamboe*, *Regnum*, cuius poteſtas, in Accaram, vſque ad *Voltam* amnem, Guineae quippe Occidentalis limitem, extenditur.

5. Deſerta, in *Mediterraneis*, eaque vaſta, quibus Guinea a Nigritarum regione ſeparatur, incognita ſunt.

§. IV.

Orientalis Gvineae Ora, vſque ad Abyſſiniam et Littora Congo, in Regna VI. diuiſa, profertur.

I. DAHOME REGNVM, in tractu ſuperiore, a limitibus Nigritiae, vſque ad Oceanum, poteſtate ac imperio profertur.

Dahome, *Dawhamay*, *Dauma*, Regnum mediterraneum, prope Nigritiam.

II. ARDRA REGNVM, in ora ſedet inferiore, Dahome regno ſubiectum. Vbi:

1. Ardra, *Ardres*, *Ardak*, *Regnum*, Dahome Regis imperio ſubiacet, cum *Xavier*, Sabie, vrbe primaria.

2. Popo, *Pawpaw*, *Regnum*, cum Ardra coniunctum, Dahome ſubeſt.

3. Iuda, *Fida*, *Wedah*, pars Ardrae, regni titulo inſignita, Regi Dahome obſequitur.

4. Gregoi, *Gregoye*, cum Gallorum et Anglorum caſtellis, et Portugallorum ac Batauorum domibus.

III. BENIN REGNVM, cum circumiacentibus Regnis, iuris ſui.

1. Fouin, *Oulcumi*, *Iabou*, *Oudobo*, *Iſago*, *Gabor* et *Iſtanna*, Regna ſunt mediterranea.

2. Benin, *Regnum*, verſus oram maritimam, cum vrbe cognomine, eaque totius Guineae maxima, cuius vt-

pote circumferentia 5. milliaria est, arce splendida ornata, diuergit.

3. Ouvere, *Auveri*, sub Regno Benin, in maritimis, a Portugallis frequentatur.

IV. LITVS AVSTRALE, inde, vsque ad Guineam Inferiorem excurrit. In quo,

1. Calbongos Terra, *Formoso Promontorio* obiecta, cum populo huius nominis.

2. Camaromum Iamour, *Camaromum*, fluuius, ex Biafarae regno effluit.

3. Maiomba, *Gabon*, seu *Pongo*, *Regna*, cis et trans Aequatorem, in australem immerguntur regionem.

V. BIAFARA REGNVM, longe lateque, per mediterranea, vsque ad Nigritiae et Abyssiniae fines, profertur.

Camarones, trans *Camaromum* fluuium, indigenae sunt, in regione vasta. Prope hoc flumen est vrbs *Biafara*.

§. V.

Subiicitur, locorum praecipuorum, in *Guinea*, tabula.

1. *Metropoles* regnorum praecipuorum: Aquambou, Dahome, Xavier, Benin.

2. *Prouinciales* Europaeorum, cum portubus: Dieppet, Friedrichsburg, Batauorum; S. Georgio della Mina, Portugallorum; Castel, Anglorum; Christiansburg, Danorum.

3. *Promontoria*: Cap de Palmas, Cap Lahou, Cap de Trois Puntas.

§. VI.

Quod, ad *naturalem* Guineae *statum*, adtinet.

1. Regio feruida, in qua tamen, torrens solis calor, partim statis pluuiis, in Maio, Iunio atque Augusto, partim

tim vento crebriore, temperatur, caeteras regiones, et *fertilitate* et *salubritate*, adaequat.

2. Exuberat terra ferax, in *vegetabilibus*, frumento, milio, oryza, manna, peponibus, dactylis, lino, cannabi, gossypio, pipere, aromatibus, ambra, zibeto, aliisque odoribus, gummi item palmisque; in *animalibus*, pecore, equis, ouibus, capris, leonibus, tigridibus, elephantibus, simiis, cerophitecis, crocodilis, strutionibus, apibus, eboreque; in *fossilibus*, auro, argento, cupro, aliisque metallis, mineralibus et lapidibus.

3. Incolae regionis *praefusci*, diuersam, pro situ locorum, *indolem* habent. Qui oram *littoralem* occuparunt, quamuis voluptuosi, (vxores suas vili saepe venum exponunt pretio, aliarum cupidi) humani tamen, et, ad praestanda officia quaeuis, non inepti esse dicuntur. Qui in *mediterranea* recesserunt, saeui et antropophagi, perhibentur esse.

4. Sermone *Congo Angolino*, indigenae loquuntur, et agricultura, venatione ac piscatione, occupantur. Sapit optime caro serpentina, vinumque palmarum.

5. Commercia rerum, per Guineam, *Galli*, *Portugalli*, *Angli* atque *Dani*, in prouincias suas diuisi, promouent.

§. VII.

Quoad *ciuilem* Guineae *statum*:

1. Regimen Guineae, in quinquaginta duobus indigenarum Regnis, *despoticum*; in quatuor Europaeorum Ditionibus, *prouinciale*, in vsu est.

2. Vires Guineae caeteris formidabiles essent, quodsi disciplina accederet, quando in solo *Benin* regno, facile ad centum millia armatorum, vbi necesse est, conscribi poterunt.

3. Prouinciae *Europaeorum*, quadruplicis numerantur or-

dinis: 1. *Gallorum*, in regno Somguia. 2. *Portugallorum*, *Anglorum* atque *Danorum*, in Fetu et Accura, regnis.

4. Religio indigenarum, qui filios filiasque circumcidunt, et bonum atque malum adorant Deum, *Pagana* est; Europaei, ritu *Christiano*, et quidem, partim *Catholico*, partim *Reformato* ac *Euangelico*, Deum colunt.

SECTIO XII.

DE

NIGRITIA, SEV TERRA NIGRITARVM.

§. I.

NIGRITIA, seu TERRA NIGRITARVM, accepto a *Nigro* fluuio cognomine, inde, ab Oceano *Atlantico*, vsque ad *Nubiam*, inter *Saraae Deserta*, *Guineam*, ac *Aethiopiam Vlteriorem*, procedit longissime, cuius vtpote amplitudo plus minus 700. est milliarium.

§. II.

Fluuios complures, per mediam transmittit regionem.

1. Senega, *Senegal*, Nigri fluminis alueus, in mare Atlanticum, per occidentalem regionis oram, exit.

2. Niger, *Nigir*, qui et *Nilus Nigrorum*, par fere Nilo magnitudine, certe eiusdem naturae, vtpote qui agros circumiacentes exundatione sua foecundat.

§. III.

Distinguitur, pro situ loci, in REGIONES II. EXTERIOREM, atque INTERIOREM; alioquin in regna XVI.

§. IV.

EXTERIOR REGIO, ab *Oceano*, in *mediterranea* extenditur, in triplicem subdiuisa oram.

I. ME-

I. MEDITERRANEA ORA, versus aquilonem, REGNIS II. absoluitur.

1. Gualata, *Galata*, *Regnum*, a Benayis habitatum, in finibus Sarae, Arabes et Mauri Nomades, incolunt, cum *Arguin*, loco probe munito.

2. Fullorum, *Foules*, *Regnum*, cum Oualle regno coniunctum, a Fullis, seu nigris Ialoffis incolitur.

3. Galam, *Regnum*, quod amne Falame adluitur, *Saracolets* habet incolas.

4. Contou, et *Combregoudou*, regiones, loco ieferiore sedent.

5. Bambouc, et *Tambaaora*, prouinciae auriferae, *Falou* et *Gouina*, catarractas, in fluuio Senega continent.

6. Cassón, *Cassón Regnum*, Tombuto collimitaneum, magnum est.

7. Guimbala, seu *Chinquele*, inter Senegae et Nigri fluviorum fontes iacet.

8. Iaga, *Regnum*, maxime orientale est, cum *Gadua* atque *Gyaca* oppidis.

II. MERIDIONALIS ORA, REGNA III. in collimitio Guineae continet.

1. Mandinga, *Regnum*, cum *Songo*, seu *Mandinga*, vrbe primaria, cuius populus, in Iaga, Galam et Bambouc, regna, propagatur, ad fines Guineae inclinat.

2. Macanna, *Regnum*, inter Mandingam, et Bamboue situm est.

3. Melli, *Melly*, *Regnum*, atque vrbs magna, quocum *Bitouin* regio, ad dextram coniungitur, Tombut regno subiacet.

III. OCCIDENTALIS, seu LITORALIS ORA, per *Senegam*, seu *Zanhagam* Prouinciam, propagatur. Pertinent huc:

1. Mallous, *Nalous*, *Regnum*, in eoque populus huius nominis, in limite Guineae.

2. Capo Verga, *Promontorium Verga*, regno Mallous obiacet.

3. Bifara, *Regnum*, in quo sunt insulae *Bissagots*, Portugallorum mercatu celebres, *S. Philippi* et *S. Andreae*, munitiones duae Batauorum, *Cachao* item Portugallis obnoxia.

4. Ialoffi, *Regnum*, in quo est *Goree* insula, sub iurisdictione Anglorum, cum *Ioal* et S. *Iaques* castellis.

5. Capo de Verde, *Promontorium Viride*, a quo, obiectae insulae, nomen acceperunt, iurisdictionis Anglicae.

§. V.

Interior Nigritiae Regio, a *Nigri* fluminis *fontibus*, vsque ad fines *Nubiae*, procedit, in Magis Cognitam, et Minvs Cognitam Oram, diuisa.

I. MAGIS COGNITA ORA, compluribus Regnis et Terris, distinguitur.

1. Tombut, seu *Tocrur*, *Regnum*, cum *Tombut*, vrbe ampla, mercatu, et regia sede nobili, iuxta Nigrum flumen, imperium in diuersa Nigritiae regna quaesiuit.

2. Guber, *Goubour*, *Regnum*, cum vrbe cognomine, regia sede, altius, secundo flumine Nigro, adsurgit.

3. Agades, *Audegest*, *Regnum*, cum vrbe huius nominis, in deserto vasto, ad montem *Amedede* conuertitur.

4. Cano, *Cana*, *Regnum*, cum vrbe regali, in quo Christianae religionis vestigia, olim detecta, in eodem Sarae collimitio.

5. Zegzeg, seu *Zagzag*, *Regnum*, cum vrbe sui nominis.

6. Cas-

6. Caſſena, *Caſſenia*, Regnum et vrbs, in qua Rex habitat.

7. Zanfara, *Regnum*, magnum eſt, cum vrbe cognomine.

8. Vancara, *Guangara*, *Regnum*, cum vrbe regia.

9. Gaoga, *Regnum* extremum ad ortum, in Nubiae finibus.

10. Bournou, *Borno*, *Regnum*, cum vrbe et lacu cognomine, ad Aethiopiae Vlterioris limitem declinat.

11. Ghana, *Chana*, *Regnum*, cum vrbe huius nominis.

12. Gago, *Regnum*, auriferum, cum vrbe cognomine, et *Lamlem Terra*, quae ſui iuris eſt, in mediterranea immergitur.

13. Iſa, *Regnum*, in fronte Terrae *Meczarae* ſedet.

II. MINVS COGNITA ORA, vſque ad Guineam latiſſime patet. Vbi:

1. Bambara, *Populus*, et praeter ea, plurima Regna minora.

2. Deſertum Nigrorum, inter *Nigritas*, et *Guineam*, longiſſimi tractus.

§. VI.

Additur, *locorum praecipuorum* in *Nigritia*, tabula.

1. *Metropoles*, regnorum praecipuorum: Mandinga, Melli, Tombut, Guber, Agades, Cano, Zegzeg, Caſſena, Zanfara, Guangara, Ghana, Gago.

2. *Prouinciales* Europaeorum, cum portubus: Portandic Gallorum, Cacheo Portugallorum, S. Iames Anglorum, S. Philippi Hollandorum, Ganar, barbarorum.

§. VII.

Quod, ad *naturalem* regionis *ſtatum*, adtinet.

1. Re-

1. Regio, propter *solis intemperiem*, admodum *calida foecundaque*, in locis *montuosis*, vmbra et aëre frigido, temperatur; in *australibus*, per sabuli arenaeque ardorem, sterilitate adficitur. De caetero, sabulum regionis huius, ea est efficacia, vt corpora exanguia a putredine tueatur.

2. Rerum, quas tellus procreat, eadem, quae in Guinea copia est, scilicet, in *vegetabilibus*, frumentum, milium, cet.; in *animalibus*, pecus varii nominis, cet; in *mineralibus*, aurum, argentum, cuprum, cet.; Conf. sup. Cap. II. Sect. XI. §. VI. num. 2.

3. Indigenarum, qui, propter corpora a sole nigrantia, *Nigri* dicuntur, diuersa sunt nomina, scilicet: *Ialoffi*, Benagi, Sereres, Barbesini, Casangas, *Feloupes*, Balantes, Biafares, *Nalous*, Gereges, Ouli, Saracolets, aliique plures.

4. Eorum omnes, pro *Afrorum* indole, quoad *corpus*, faciem habent nigricolorem, narem simam, labia purpurea, dentes candidos, comam crispam; quoad *mentem*, pigrum, et ad libidinem procliuem animum.

5. Loquuntur ore *Congo Angolino*. Viuunt ex re rustica, pecuaria, ac *venationibus*. Quorum ii, qui *oram* accolunt *litoralem*, negotiationem quoque cum piscatione tractant; reliqui, in *mediterraneis*, bella perpetua inter se gerunt; captaque in praelio mancipia, Europaeis vendunt.

6. Negotia, in Terra Nigritarum, a *Gallis*, *Portugallis*, atque *Anglis*, summa promouentur industria. *Angli*, coemta ab Nigritis *mancipia*, secundum pactionis, quae anno 1713. cum Hispanis confirmata, *Assiento* dicitur, leges, in *Americam* deuehunt, ad metalla, aliasque operas rusticas, condemnanda.

§. VIII.

Quoad *ciuilem* Terrae Nigritarum *statum*:

1. Re-

1. Regiminis in *Nigritia* idem, qui in *Guinea*, id est, despoticus partim, partim *prouincialis*, modus est.

2. Despoticum regiminis modum, *Reges* Nigritarum, in *sedecim* regnis obseruant. In quorum plurima, Rex *Tombout*, olim imperium habebat Hodie subsunt Regi *Fullorum*, Houali, Regi *Melli*, Bitouni, Regi *Cano*, Zegzeg, Cassena, Regi *Ghana*, Vancara, regna regionesque.

3. Prouinciale Europaeorum regimen, in Gallorum atque Anglorum coloniis, inter Ialoffos; Portugallorum ac Hollandorum, inter Biafares populos, locum habet.

4. Religionem *Mahometanam* Nigritae, *Christianam* Europaei, in cultu numinis obseruant. Nonnulli indigenarum rationem coecam, pro lubitu animi, sequuntur.

5. Regni Nigritiae tituli. Rex *Houal* Drac, id est, Rex Regum, Rex *Caior*, Damel, hoc est, Rex sui iuris, Rex Fullorum, *Chiratik*, seu *Siratik*, adpellatur.

6. Rei *nummariae*, eadem est ratio, in Terra Nigritarum, quae in Guinea. *Indigenae* namque, ferrum et testas conchiliorum, pro *nummis*, quos *Europaei* in summo habent pretio, appendunt.

SECTIO XIII.

DE

INSVLIS AFRICAE.

§. I.

INSVLAE, circa AFRICAM, quae, partim in *Atlantico*, partim in *Aethiopico* mari, fluctibus cinguntur, in ORIENTALES et OCCIDENTALES, discriminantur.

§. II.

OCCIDENTALES INSVLAE, circa *Tropicum* Cancri et *Aequatorem*, in *Atlantico* atque *Aethiopico* Oceano, occiden-

cidentali Africae littori obiectae, in CLASSES III. distinguuntur.

I. CANARIAE, olim, FORTVNATAE INSVLAE, Afris *Elbard* dictae, e regione Atlantis montis, in Oceano Atlantico, iuris Hispanici et Portugallici, XII. numerantur.

1. Porto Santo, *Portus Sanctus*, insula maxime septentrionalis, in potestate Portugallorum.

2. Madera, *Materia*, a ligni caedui copia denominata, et, propter agrum fertilem, regina insularum dicta, *Fuenchal*, seu *Funchal*, vrbem episcopalem, cum *Monchriko* portu munito, habet, et ad ditionem Portugallorum, inde ab anno 1420. pertinet.

3. Les Sauvages, *Salvajes*, Insulae duae, iuris Portugallici, non tam hominibus, quam auibus Canariis praebent hospitium.

4. Palma, *Insula*, a palma cognominata, cum *Sancta Cruce de la Palma*, et monte igniuomo, ad Hispanos pertinet.

5. Teneriffa, *Insula*, episcopalis, *Oratauiam* portum, *Lagunam* vrbem et Pico montem, vnum et sesqui milliare altum continens, Regi Hispanorum subest, cum subsequentibus:

6. Gomere, *Gomera*, insula, feris animantibus abundat.

7. Ferro, *Ferri*, insula, *arbore*, seu ligno Sancto, quod toti insulae, aqua vtpote carenti, naturae miraculo, aquam dulcem subministrat, nota, per quam, *Primus Meridianus*, cum initio longitudinis, iuxta Ludouici XIII. edictum, ducitur. Inter quam, et Parisios, differentia 20. graduum, quam proxime obseruatur.

8. Canaria, *Canaria Magna*, accepto a canna, vel canibus cognomine, cum vrbe *Canaria*, seu *Cita de Palmes*, *Ciuitate Palmarum*, quae hospitium Episcopo,

po, Gubernatori et conuentui iuridico praebet, portu munita. Bis in ea quotannis seminatur metiturque

9. Forte Ventura, *Munitio Ventura*, dextram versus, ad litora Africae conuertitur.

10. Lancellota, *Lancerota*, insula equis excellens, inde adsurgit.

11. Alegranza, *Alegrantza*, insula parua, cum portu castello munito, situs superioris.

12. Gratiosa, et *Rocca*, insulae duae; quarum illa, amoenitate loci; ista, vino generoso commendatur.

II. PROMONTORII VIRIDIS INSVLAE, *Capo Verde*, ad Sennegae ostia oppositae, et olim, *Hesperides*, siue *Gorgones* adpellatae, iuris Portugallici, vltra Tropicum Cancri, in eodem Oceano, numero X. sunt.

1. S. Anton, *S. Antonii*, insula montosa, perpaucos alit colonos.

2. S. Vincent, *S. Vincentii*, insula, portum habet capacem.

3. S. Lucia, *S. Luciae*, insula, testudines ingentis magnitudinis fert.

4. S. Nicolo, *S. Nicolai*, insula, feles siluestres nutrit.

5. Do Sal, *Della Sale*, *Salis insula*, illuuionibus Oceani exposita, sal marinum, a quo denominatur, suppeditat.

6. Boa Vista, *Bona Vista*, *Belli Prospectus*, insula, nomen a situs amoenitate accepit.

7. Maio, *Maii*, insula parua, sale adfluit et arietibus.

8. S. Iago, *S. Iacobi*, insula, reliquarum maxima, in qua *Ribiera grande*, Riberia, episcopalis, et sedes Gubernatoris a Portugallis condita est.

9. Del Fuogo, *Ignis*, seu *S. Philippi* Insula, a montibus, qui ignem eructant, cognominatur.

10.

10. Brava, *S. Ioannis*, insula, capras et arietes progenerat.

III. DISPERSAE IN ATLANTICO AC AETHIOPICO OCEANO INSVLAE, supra et infra Aequatorem iacent.

1. Sargasso, *Lentes marinae*, insulae exiles aut scopuli, nauigationem impedientes, frequentes sunt in Oceano, inter Africam et Americam.

2. Ferdinando Pao, *Ferdinandi Po*, insula, in qua vallum Portugallorum, ostiis fluminis Camaromi, ex adverso Guineae, obiectum.

3. Del Principe, *Principis*, insula fertilis, iuris Portugallici, nomen, a Principe iuuentutis natu maximo, accepit.

4. S. Thomas, *S. Thomae*, insula, cum episcopatu, sub aequinoctiali linea, anno 1405. feria Thomae a Portugallis reperta, post a Belgis erepta, iterum a Lusitanis recuperata, minus salubris est, at sachari ferax.

5. Annobon, *Annebon*, *Insula anni boni*, a Portugallis, anni 1525. die primo detecta, infra Aequatorem.

6. S. Matthaei, *S. Mathaei*, insula infrequens, in qua nauigantes in Indiam, stationem habent, ad laeuam.

7. Ascension, *Ascensionis*, insula, in qua tenuis Portugallorum colonia, magis orientalior, nauigantibus in Indiam, stationem concedit, testudinibus vtilis.

8. S. Helenae, *S. Helenae*, insula noua, anno 1508. a Portugallis inuenta, et per errorem duplicata, communis antea nauigantibus, qui se inde reficiebant, nunc Anglorum tenetur praesidio, munitione *Iames-Castell* firmata.

§. III.

ORIENTALES INSVLAE, in Aethiopico atque Indico Oceano, CLASSIBVS V. comprehenduntur.

I. MA-

I. MASCARENAE INSVLAE, Madegascar insulae, numero L. in *orta* et *occasu* obiacent.

1. Mascarenhes, *Mascaregne*, seu *Bourbon*, insula foecunda salubrisque, (Longa 25. lata 14. milliaria) a Portugallis et Batauis, propter Ouracanos relicta, hodie a Gallis possidetur.

2. S. Maurice, *S. Mauritii*, *Do Cirne*, insula, Portugallorum et Batauorum pridem, nunc a Gallis possidetur, anno 1772. tempestate adflicta.

3. Roderici, seu *Iacobi Roderici*, insula, magis in ortum abit.

II. MADEGASCAR, quasi *Insula lunae*, Portugallis *S. Laurentii*, Gallis *Dauphine*, *Delphini Insula* dicta, et in maximis insularum numeranda, *Montibus Rubris*, quos *Ambonitsmenes* vocant, distinguitur, longa ad 230. milliaria, lata 70, circiter 54. prouincias complexa. In eius ora,

1. Capo S. Sebastian, et *Capo Notal*, duo promontoria, in *superiore* insulae ora, pelago imminent.

2. Noffi Ibrahim, *Insula Abrahami*, seu *Mariae*, in dextro latere, Madegascariae adiacet.

3. Matatan, *Matatanes*, intus sunt in continente.

4. S. Lucia, *S. Luciae*, portus aggeribus confirmatus, in tractu inferiore, fere sub Tropico Capricorni.

5. Fanshere, *Franchere*, munitio noua, ab Anglis posita.

6. Fort Dauphin, *Castrum Delphini*, munitio cum portu, a Gallis constructa, postea ab Anglis occupata.

7. Machicor, *Machicores*, extremi sunt ad *austrum*.

8. Baya S. Augustin, *Sinus S. Augustini*, in eoque portus, ab Anglis, cum *Terra de Gada*, frequentatur.

9. S. Vincent, *S. Vincentii*, portus, inde occidentali adsurgit ora.

10. Massali, *Masalaghem noua*, portus, quem Angli et Portugalli adire solent.

11. Baya Anton Gil, *Sinus Antonii Gillii*, in eoque portus, quem Batani frequentant.

III. COMORRAE INSVLAE, etiam in Mascarenarum numerum relatae, et titulo regnorum ornatae, in fretu Mosambique, Oceano Indico circumfunduntur.

1. Mayotte, *S. Christophori*, insula, maxime *meridionalis* est.

2. Monill, *Moälis*, insula, priori, in ortu obiacet.

3. Aniovan, *S. Iean*, *Ovingtono Anglicani*, *S. Ioannis*, insula, priorem situ loci superat.

4. Nangasia, *Comorre*, *Grande Comorre*, extrema est ad *septentrionem*.

IV. DISPERSAE IN OCEANO INDICO INSVLAE Mascarenae, complures sunt. Quarum praecipuae,

1. Admirantis, seu *Admiralii Insulae*, iuris Portugallici, vsque ad Aequatorem extenduntur.

2. Do Ambro, *Ambrae*, insula, lineae Aequinoctiali subiacet.

3. Socotora, *Zocatara*, *Scoira*, cum *Tamarette*, seu Tamarin, vrbe, primum quidem Scherifo Meccae, inde, Turcis parebat; nunc, regno Fartaque, cum Rege suo obsequitur.

§. IV.

Proponitur, *vrbium* in Insulis Africae *praecipuarum*, tabula.

1. *Episcopatus* IV. Archiepiscopo Olyssiponensi subsunt: Fuenchalensis, in Madera insula; Ribierae, in Insulis Viridibus; Sancti Thomae, in insula cognomine; Archiepiscopo Hispaliensi suffragantur: Teneriffae, et Citta de Palmes, in Canariis.

2. *Vr-*

2. *Vrbes Primariae:* Fuenchal, in Madera; Citta de Palmes, in Canariis; Ribiera Grande, in Viridibus; Fort Dauphin, in Madegascar, insulis.

3. *Portus* praecipui sunt: Porto Santo, Monchriko, Citta de Palmes, S. Vincent, aliaeque Insularum Dispersarum, Fort Dauphin, Baya S. Augustin, S. Vincent, Baya Anton Gil, in Madegascar insula.

§. V.

Quod, ad *naturalem* Africae Insularum *statum*, adtinet:

1. Regio *Insularum*, ex Zona temperata aquilonari, vltra Tropicum Capricorni, in meridiem protrusa, *varium* equidem habet coeli *positum*: solum tamen, vbique bene *cultum* et fertile. In insulis fortunatis plerumque ex vno grano 180. spicae enascuntur.

2. Profert tellus vberrimi fructus, in insulis *Canariis*, frumentum, vinum, mala citrea, aurantia, pepones, diversos arborum fructus, cannam, sacharum, mastychem, laurum, lignum sanctum, gummi, pecus, feras, capras, cuniculos, aues Canarias; in *Viridibus*, aliisque ad Guineam, oryzam, cannam, sacharum, gossypium, capras, ceropithecos, aues aquaticas, testudines; in *Madegascar*, praeter res enumeratas, ebenum, santalum, fabas, pisa, crocum, zingiber, herbam nicotianam, elephantos, crocodilos, cicadas, colubros, salamandras, psittacos, aues, apiaria, bombyces, mei, ceram, sericum, pisces volantes, aurum, argentum, ferrum; in *Mascarenis* vero, cum ebeno, coccos etiam.

3. Incolunt Insulas, partim indigenae, partim Europaei. *Canarias* inhabitant, cum indigenis suffusci, Hispani; *Maderam*, *Virides*, et quae *Guineae* obiacent, Portugalli; Insulam *S. Helenae*, Angli; *Madegascar*, cum indigenis ignauis, vindictae cupidis, ac polygamis, in oppidis quidem, Arabes et Europaei, in montibus vero, siluicolae, hominesque feri.

4. Sermo, quo Insulani confabulantur, partim *indigenus* est, partim *Europaeus*, cuique nationi tamen proprius. *Madegascarensis*, in insula cognomine vsitatus, multum ab vtroque distat: quippe qui, singulari cum Graeco et Arabico adfinitate, deuinctus est.

§. VI.

Quoad *ciuilem* Insularum *statum*:

1. Regimen Insularum, in *prouinciale* et *despoticum*; et illud, in Hispanicam, Portugallicam, Anglicam atque Gallicam, Praefecturas, distinguitur.

2. Ad Praefecturam *Hispanicam* pertinent Insulae Canariae, quas Gubernator administrat; ad *Portugallicam*, Madera, Ferdinando Pao, Del Principe, S. Thomae, Annebon, S. Matthaei, Ascension, S. Spiritus, et in Mascarenis, Zinzibar; ad *Anglicam*, S. Helenae insula; ad *Gallicam*, Bourbon, et S. Maurice.

3. Regnant *despotice*, in insula Madegascar, *Reges* LIV.; in Mascarenis, aliisque dispersis, *totidem*, quot insulae sunt.

4. Religionis, idem in Insulis, quod in Africa, discrimen est. 1. *Christiana Catholicorum*, ab Hispanis, Portugallis, atque Gallis, propemodum in omnibus; *Anglorum Reformata*, vnice, in S. Helenae insula, propagatur. 2. *Mahometana*, in Madegascar, et Mascarenas insulas, ab Arabibus traducta est 3. *Pagana*, a plerisque Insularum indigenis, non sine superstitione, conseruatur. Quotannis infantum aliquot millia crudeliter enecant, caussam interserentes: *sibi natiuitatem eorum omen fati aduersi videri.*

5. Nummi, apud *Europaeos* in vsu sunt. Apud *indigenas*, permutatio rerum, locum, pro more antiquo, habet.

CA-

CAPVT III.

DE

AMERICA.

SECTIO I.

DE

AMERICA GENERATIM.

§. I.

AMERICA, Pars orbis terrarum quarta, et, ab *Americo Vesputio*, denominata, ORBIS NOVVS, seu INDIA OCCIDENTALIS, adpellatur; abductaque, a regionibus Europae, in *occidentalem* mundi *cardinem*, pelago, ex omni parte, adluitur, Europa septies maior, longa vrpote 1800. milliaria.

§. II.

Scilicet, Orbem nouum, Oceanus Glacialis, cum Terra Incognita, in *septentrionibus*; Oceanus Atlanticus, cum Aethiopico, in *ortu*; Fretum Magellanicum, in *meridie*; Mare Pacificum, in *occasu*, constringit.

§. III.

Maria, quibus terra vasta, ad modum insulae, ex omni circumcluditur latere, quatuor, circum eius litora, diffunduntur.

1. Oceanus *Glacialis*, seu *Septentrionalis*, aquilonarem Americae oram adluit, exitque, in *Sinum* ac Fretum *Hudsonis*.

2. Oceanus *Atlanticus*, *Mar del Nort*, litus occidentale lambit, a circumiacentibus regionibus, variis adpellatus nominibus. Ea vero sunt: Mare *Canadae*,

seu Nouae Franciae, Mare *Virginiae*, Mare *Mexicanum*, seu Nouae Hispaniae.

3. Oceanus *Aethiopicus*, in australem Americae oram, eiusque litora, isto influit ordine: Mare *Brasiliae*, *Paraguayae*, et *Magellanicum*.

4. Mare *Pacificum*, *Mar del Zur*, orientali Americae lateri obiacet: cuius partes, ad litora, sunt: Maria, *Chili*, *Peru*, *del Zur*, *Californiae*.

§. IV.

Sinus quinque, ex Oceano Americano, in continentem exeunt.

1. Sinus *Hudsonis*, *Hudsons Bay*, in Canadam, ex mari Glaciali influit, ab eo, qui detexerat, sic adpellatus.

2. Sinus *S. Laurentii*, inter Nouam Franciam, et Terram Nouam, cum ostiis fluuii, diffunditur.

3. Mare *Rubrum*, *Mare Vermeio*, inter Nouam Mexico, et Californiam interiacet, ex aduerso, in mari Pacifico.

4. Sinus *Mexicanus*, cum *Archipelago*, vsque ad Novam Mexico excurrit.

5. Sinus *Panamicus*, *Golfo de Panama*, ex mari Pacifico, vsque ad Isthmum Panamicum, semet insinuat, ferax vnionum, cuius propterea insulae *Margaritarum* vocantur.

§. V.

Freta angusta, quibus terrae dirimuntur a continente, tria numerantur.

1. Fretum Davisii, *Detroit de Davis*, terras incognitas, in plaga arctoa interluit, ab *Io Dauis*, Anglo, detectae.

2. Fretum Hudsonis, *Detroit d' Hudsons*, Americam, a terris minus cognitis, secernit.

3. Fre-

3. Fretum Magellanicum, *Detroit de Magellan*, Terram Magellanicam, a Terra del Fuogo diſtinguit, a Ferd. Magellano, Portugallo, qui huc primus ab Europa an. 1519. venerat, appellatum.

§. VI.

Diuiditur, Iſthmo Panamico, in duas PENINSVLAS, ſeu SEPTENTRIONALEM et AVSTRALEM AMERICAM, quarum vtramque, INSVLAE ex vtroque circumcludunt latere.

I. SEPTENTRIONALIS AMERICA, in *Peninſula ſuperiore*, REGIONES VI. cum Terris Incognitis, complectitur.

1. TERRA INCOGNITA, in extremo ſeptentrione, loco ſuo proponenda.

2. CANADA, regio aquilonaris: in qua, *Quebec*, *Boſton*, *Philadelphia*, *Iames Towne*, metropoles.

3. FLORIDA, vſque ad ſinum Mexicanum exit: vbi, *S. Auguſtino*, *S. Louis*, *Carolina*, vrbes primariae.

4. MEXICVM NOVVM, inde, verſus Boream, cum *S. Fe de Granada*, adtollitur.

5. CALIFORNIA, mari Vermeio, a terris Americae diſcernitur.

6. HISPANIA NOVA, in medium Americae, vna cum *Mexico* metropoli, immergitur.

II. MERIDIONALIS AMERICA, in *Peninſula inferiore*, REGIONES VIII. ſinu ſuo continet, hoc ordine:

1. TERRA FIRMA, ſinui Mexicano ſubiecta, cum *Carthagena* metropoli.

2. PERVVIA, ad mare Pacificum, cum *Quito*, vrbe primaria.

3. AMAZONVM REGIO, in mediterraneis, abſque metropoli.

4. Brasilia, ad Oceanum Aethiopicum, cuius, *S. Salvator*, caput.

5. Paraqvaya, situ inferiore, in qua, *Assumtion*, vrbs prima.

6. Tvcvmania, in mediterraneis, cum *S. Iago del Estero*, vrbe prima.

7. Terra Magellanica, ad austrum, vbi, *Ciuidad del Roy Philippe*, praecipua.

8. Chili, inde, iuxta mare Pacificum adsurgit, cuius *S. Iago*, vrbs primaria.

III. INSVLAE, pro situ plagarum, bifariam distinguuntur.

1. Orientales, in Oceano Atlantico, sunt: *Azores*, *Canarienses*, *Bermudes*, *Lucayae*, *Antillae maiores*, *Caribes*.

2. Occidentales, in mari Pacifico, partim *Salamonis*; partim *Dispersae*, vocantur.

§. VII.

America, ex duabus compacta Peninsulis, formam adsumsit *clepsydrae*, seu *clepsamidii*, cuius partem *superiorem*, Septentrionalis; *inferiorem*, America Meridionalis; *collum* angustiore foramine *fistulatum*, Isthmus Panamicus, constituunt.

§. VIII.

Quod, ad *naturalem* Americae *statum*, adtinet:

1. Regio, inter *Arcticum* et *Antarcticum* circulos, longitudinis amplissimae, diuersum habet, pro ratione *positus*, cum *coeli*, tum *soli* habitum. Namque, terra eius media, *Zonae torridae* subiecta, solis inardescit radiis: quae autem, vltra *Tropicos*, versus vtrumque remouetur polum, temperatissimas sentit coeli regiones. Quo fit: ut *fertilitas* etiam loci diuersa sit.

2. Po-

2. Populi, qui regionem vastam accolunt, quadruplicis sunt generis. 1. *Americani*, indigenae, incertae originis, quorum ii, qui propius ad Europaeos habitant, cultiores caeteris sunt, qui vero silvas ac loca deserta colunt, feri et barbari. 2. *Europaei*, in Hispanos, Portugallos, Gallos, Anglos, atque Hollandos diuisi, ad quos, aetate nostra, Salisburgenses adcessere Germani, vrbes ac villas inhabitant. 3. *Hybridae*, quos *Mestizen*, seu *Criolos*, vocant, ex Americanis atque Europaeis, editi sunt. 4. *Nigri*, *Negers*, ex Africa atque Asia, in mancipiorum numero, in Americam deportantur.

3. Sermo, inter indigenas, *Mexicanus*, *Peruuianus*, et *Tapuanus*; inter Europaeos, *Hispanicus*, *Portugallicus*, *Francicus*, *Anglicus*, atque *Germanicus*; inter Nigros, partem *Africanus*, partem *Indicus*, in vsu est.

§. IX.

Quoad *ciuilem* Americae *statum*:

1. Regimen Americae, apud Indigenas, *despoticum*; apud Europaeos, *prouinciale*, locum habet.

2. Regna *Americae*, euersis *Mexico*, *Peruuia*, aliisque, nulla prostant hodie: quamuis *Americani* Indigenae, in diuersos diuisi populos, a *Regulis* suis regantur.

3. Prouinciae Europaeorum, pro iurisdictionis ratione, bifariam distinguuntur; sunt enim vel *sui*, vel *peregrini iuris*. 1. *Anglis* obsequuntur: Canada et Floridae pars, nonnullaeque insulae. 2. *Francis* subest Louisiana, cum quibusdam insulis. 3. Ad *Hispanos* pertinent: Mexicum Nouum, Hispania Noua, seu Mexico, Terra Firma, Peruuia, Chili, Paraquaya, Tucumania. 4. A *Portugallis* adquisitae sunt: Brasilia, Amazonum regio, Paraquayae pars, cum Insulis Azoribus. 5. *Sui iuris* est, Terra Magellanica, cum Regionibus mediterraneis, nonnullisque Insulis, quas Indigenae Americani tenent.

4. Religio, in coloniis Europaeorum, *Christiana*, pro diuersitate nationum, in *Romano-Catholicam*, et *Reformatam Anglicanam* atque *Helueticam*, distinguitur. Ad quam, aetate nostra, *Euangelica* quoque, cum Salisburgensibus adcessit; seculo vero superiore, secta *Tremulantium*, seu *Quackerorum*, et *Menonitarum*, sedem in Pensyluania posuit.

5. Litterarum studia, quas, *Europaei* in Americam traduxere, in *Hispanorum*, *Portugallorum*, *Anglorum*, atque *Gallorum* coloniis, traduntur.

SECTIO II.

DE

AMERICA SEPTENTRIONALI,

Speciatim

DE

CANADA.

§. I.

AMERICA SEPTENTRIONALIS, inde ab *Oceano Boreali*, vsque ad *Sinum Mexicanum*, ac *Isthmum Panamicum* prolata, et *Atlantico* terminata *Oceano*, in occasu, in CANADAM, FLORIDAM, NOVAM MEXICO, CALIFORNIAM et HISPANIAM NOVAM, REGIONES V. diuiditur.

§. II.

CANADA, *Canada*, Gallis, *Noua Francia*, Regio septentrionalis, accepta a flumine Canada, quod hodie S. Laurentii vocatur, denominatione, in ora *septentrionali*, Oceano Glaciali; in *ortu*, mari Atlantico, stringitur; exitque longo terrarum tractu, in *meridie*, ad Floridam et Nouam Mexico, in *occasu*, ad Terras incognitas, longa plus minus 500. milliaria.

§. III.

§. III.

Adluitur, ex triplici latere, Oceano duplici.

1. Oceanus *Septentrionalis*, ab aquilone, in superiora regionis latera incurrit, eamque, et sinu et Freto Hudsonis, a Terris distinguit incognitis.

2. Oceanus Atlanticus, *Mar del Nort*, in *Canadense*, seu Nouae Franciae, et *Virginiae*, maria duo, diffusus, occidentale regionis latus lambit.

§. IV.

Flumina maiora, quae, in Oceanum, lata sede profluunt, duo numerantur.

1. S. Laurentii, seu *Canadae*, flumen, omnium, quae in America sunt, maximum, sinui, cognomini, in mari Canadensi, immergitur.

2. Missisippi, *Missisipi*, fluuius, ex eadem Canadae regione emissus, medius, inter Floridam atque Mexico, in sinum Mexicanum decurrit.

§. V.

Distinguitur, regio ampla, pro numero Prouinciarum, in Francicam, Anglicam, atque Barbaram Canadam.

§. VI.

Canada Francica, constat *Lusiana*, seu *Louisiana*, flumine Missisipi, per medium discreta, incertae magnitudinis. Eius sunt:

1. Missisippi, *Missisipi*, flumen, a septentrione ad meridiem, per quadringinta milliaria diffunditur.

2. Fort S Louis, *Castrum S. Ludouici*, anno 1683. a primis regionis inuentoribus excitatum.

§. VII.

§. VII.

CANADA BARBARA, *das Wilde Canada*, ab indigenis, quorum incondita est multitudo, vt vni Europaeorum facile ad mille barbari opponi possent, inhabitatur. Eorum sedes, nominaque praecipua sunt:

1. Eskimaux, et *Papinachi*, gentes duae, ad ostia fluminis S. Laurentii.

2. Sanguenai, *Saguenai*, natio, in Noua Francia.

3. Iroquois, *Iroquoison*, id est, *praeclari homines*, scil. in Noua Francia, cis lacum Frontenac.

4. Hurons, *Hurones*, hostes nationis Iroquois, supra, inter Nouam Franciam et Louisianam.

5. Illinois, *Homines Fortes*, trans lacum *Frontenac*, in Louisiana.

6. Ozages, *Reinardi*, aliique ignoti, in eadem regione.

§. VIII.

CANADA ANGLICA, tractu immenso, ad flumen S. Laurentii, ad boream austrumque porrecta, in PROVINCIAS VIII. diuiditur.

I. CANADA PROPRIA, cis flumen Laurentii, positam regionem occupauit. Vbi:

1. Brest, *Brescia*, vrbs primaria, ante annos nonnullos condita, et emporio clara, in *aquilonari* sinus Laurentii litore.

2. Tadoussac, *Tadusac*, vrbs munita, mercatuque clara, in aquilonari fluminis ripa.

3. S. Iean, *Fanum S. Ioannis*, oppidum, mercatu nobile, idque, aliquanto a flumine interuallo, in mediterranea remotum.

4. Quebec, *Quebecum*, vrbs prima, propugnaculis et castro, ad fluuium S. Laurentii communita, Praefecto, Episco-

Episcopo, aduectisque ex Europa mercibus, hospitium praebet.

5. Mont Royal, *Mons Regius*, munimentum, ad continendos in obsequio barbaros, apud idem flumen excitatum.

6. Fort Richelieu, *Castrum Rischelii*, idque paruum, inde sequitur.

7. Frontenac, *Frontenacum*, munitio valida, barbaris obiecta.

8. Nipisigui, *Nipissing*, oppidum mercatu indigenarum nobilitatum, supra, in mediterraneis.

II. ACADIA, seu Nova Scotia, ab Anglis, anno 1623. insessa, infra ostia S. Laurentii, iacet. In eius ora sunt:

1. Capo de Sable, *Promontorium Sable*, ad sinum cognominem.

2. Port Royal, seu *Annapolis*, vrbs munita, cum portu quae denominationem ab Anna Regina accepit.

3. S. Maria Fort, *S. Mariae Castrum*, mercatu ligni clarum.

III. NOVA ANGLIA, anno 1580. a Francisco Dracke detecta, haec habet oppida:

1. Bristol, *Bristolum*, oppidum structurae elegantis.

2. Neu Havre, *Nouus Portus*, emporium insigne cum tribunali.

3. Neu London, *Boston*, metropolis, formae venustae, portu firmata, ornataque gymnasio et typographia.

4. Cambridge, *Cambridia*, vrbs frequens, vniuersitate ac typographia clara.

5. Pleymuth, *Plimuthum*, portus est eximius.

IV. NOVA HOLLANDIA, seu, Nev-Yorck, ab Hollandis,

landis, ad Anglos, anno 1667. translata, quaedam colit oppida.

1. Orange olim, iam *Albania*, munitio, aduersus barbaros valida.

2. Neu-Yorck, *Eboracum nouum*, ab Hollandis, *Neu Amsterdam*; a barbaris, *Manhatte*, adpellatum, munimentum insigne, castro ac portu firmatum, in insula, ab Anglis anno 1776. mens. Sept. in obsequium reductum.

3. Ysope, *Ysopa*, castrum, indigenis obiectum.

V. PENSYLVANIA, Novae Sveciae pars mediterranea, nomen a *Wilhelmo Penn*, qui in hanc regionem ex Anglia primas colonias duxit, appellationem sortita, a *Tremulantibus*, seu *Quackeris* colitur. Pertinent ad eam:

1. Philadelphia, *Philadelphia*, vrbs eximia cum portu, et prouinciae metropolis, anno 1682. a Wilhelmo Penn constructa, Gubernatorem hospitio excipit. In qua coloni, qui ab Anglis defecerant, foedus inire et foederatarum XIII. prouinciarum Titulum assumere ausi sunt.

2. Germanton, *Germantonum*, colonia Germanica, anno 1685. ab *Franc. Dan. Pastorio*, hoc loco posita.

3. Neu Franckfurt, *Nouum Francofurtum*, oppidum coloniae Germanicae.

VI. NEV-IER-SEY, Novae Sveciae (sic olim nominabatur,) pars inferior litoralis, perpauca numerat oppida.

1. Christina, *Christinia*, vrbs prima, Suecorum coloniae, nomen a Christina Sueciae Regina accepit.

2. Midleton, et *Barlington*, coloniae duae tenues.

VII. MARYLANDIA, *Maryland*, *Terra Mariae* anno 1632. a *Maria* Anglorum Regina denominari coepit. Vbi:

1. Mat-

1. Mattapan, *Mattapany*, amoena Gubernatoris ſedes.

2. S. Maria, *Sancta Maria*, metropolis ſtructurae elegantis.

3. Bay Cheſabec, *Sinus Cheſabec*, longe in mediterranea excurrit.

VIII. VIRGINIA, olim *Macoſa*, tracto, ab *Eliſabetha* virgine, Anglorum Regina, cognomine, anno 1585. in Prouinciam redacta eſt. Oppida Anglorum induſtria condita ſunt:

1. Tragabizanda, et *Eliſabeth-Towne*, vrbes duae, mediocris magnitudinis, infra *Poyhatan* amnem.

2. S. George, et *Charlesfort*, munitiones duae.

3. James-Towne, *Iacobipolis*, ſeu *Williamsburg*, *Wilhelmipolis*, vrbs prima, muro et propugnaculis circumdata, in inſula Poyhatan, in qua Wilhelmus III. Rex, academiam, cum bibliotheca et typographia, poſuit, quae tamen, anno 1708. incendio deleta eſt.

4. Pomejok, *Pomejoc*, oppidum, inter barbaros quondam primarium.

§. IX.

Exponitur, *vrbium* praecipuarum in *Canada*, tabula.

1. *Metropoles:* in *Canada Francica*, Quebec; in *Anglica* Boſton, Philadelphia, James-Towne.

2. *Academiae II.* in *Canada Anglica*, Boſton, James-Towne, et praeterea Cambridge, gymnaſium.

3. *Portus:* Quebec, Port Royal, Neu Havre, Boſton, Pleymuth, Neu-Yorck, Philadelphia.

§. X.

Quod, ad *naturalem* regionis *ſtatum*, adtinet.

1. Regio *Canadae*, a *triceſimo*, vltra quinquageſimum latitudinis borealis gradum, prolata, in parte quidem inferiore, cum *Barbaria* et *Hiſpania*; in ſuperiore, cum

cum *Gallia*, commune habet, cum coeli *temperamentum*, tum *solum*, fructus vberrimi.

2. Res, quibus adfluit Canada, sunt in *vegetabilibus*, frumentum, cannabis, linum, vitis, canna, sacharum, herba nicotiana, lignum caeduum, gummi, pix, diversi item arborum fructus; in *animantibus*, pecus, equi; capri, porci, cerui, damae, rangirii, capreoli, vri, lupi, vulpes, martes, bombyces cum serico, apes cum melle ac cera, aues silvestres, balenae, salpae, anguillae, salmones, castores, canes marini, aliaque piscium genera; in *mineralibus* cuprum, ferrum et plumpum.

3. Incolae, quorum ad XV. milliones in America Anglicana numerantur, duplicis generis regionem inhabitant. 1. *Indigenae*, eiusdem cum Europaeis adspectus, at incertae originis, quorundam opinione, ex Scythis atque Hunnis, ortum traxisse videntur. Aestate nudi, hyeme ferina pelle tecti incedunt. Erga hostes sunt immaniter crudeles, quos saepe tostos deuorare solent. 2. *Aduenae*, qui in Canadae agro, domicilium posuere, ex Gallis, Anglis, Scotis, Suecis, atque Germanis, coacti sunt.

4. Occupantur indigenae, *venatione*, *piscatione* et *re pecuaria*, artium atque negotiationis, quas Europaeorum promouent coloniae, prorsus ignari.

§. XI.

Quoad *statum* Canadae *ciuilem*:

1. Regimen, apud plerosque *Indigenarum*, qui sine lege viuunt, *nullum* est. Nonnulli tamen, in tribus aut nationes diuisi, *Reges* vel *Duces* eligunt.

2. In prouinciis *Europaeorum*, *Gallicis* quidem coloniis, Pro-Rex; *Anglicis*, Gubernator regia moderatur auctoritate.

3. Religionis, apud *Indigenas*, qui vitam more bestiarum agunt, *nulla*, saltim parua est *cura*. *Europaei*

paei tamen, facra *Chriſtiana*, in coloniis propagant, et Galli quidem, ſecundum ritum *Romano-Catholicum*; Angli, iuxta *Reformatum* Anglicanum Helueticum, et *Euangelicum*. Iſtis, *Tremulantes* quoque et *Menonitae*, inſerti ſunt.

4. Litterarum ſtudia, *Angli*, in Canadam traduxerunt: eaque, partim in academiis duabus, partim in gymnaſiis, pro eo, ac barbaries loci permittit, colunt.

SECTIO III.

DE

FLORIDA.

§. I.

FLORIDA, quondam IAQVAZA cognominata, et, vſque ad ſinum Mexicanum extenſa, nomen, a *Dominica Palmarum*, quam Hiſpani, *Paſcua de Flores*, vocant, eo quod die hoc detecta fuerat, traxiſſe dicitur.

§. II.

Terminata, in limite occidentali, fluuio *Miſſiſippi*, in duas prouincias, *Anglicanam* videlicet, et *barbaram* diſtinguitur.

I. ANGLICANA FLORIDA, cuius pars *Carolina*, a Carolo IX. Rege appellatur, haec numerat oppida:

1. Caroline, *Carolina*, oppidum probe munitum.
2. Charles-Town, *Charles Tocon*, vrbs omnium prima, cum portu.
3. Carlesfort, *Caroli Caſtrum*, munitio a Gallis exſtructa.
4. Fort Louis, munitio mediterranea, barbaris obiecta.
5. Fort Antoin, *Caſtrum Antonii*, ad fluuium Miſſiſippi, in Canadae finibus.

6. Fort Souvage, et *Fort du Prudhomme*, castra duo, haud procul a flumine Missisippi, ad *septentrionem.*

7. Neu Orleans, *Noua Aurelia*, oppidum tenue, in quo, fundamenta vrbis magnae posita sunt, Gallis paret.

8. Missisippi, *Castellum*, ostiis fluuii cognominis adpositum, vltra quod, noua regio Missisippi, anno 1722. non sine damno Gallorum, quaerebatur.

9. Fort S. Louis, seu *S. Bernhard*, *de la Salle*, *Crevecoeurs*, propugnaculum maritimum, idque, in finibus Floridae Hispaniae extremum.

10. Pansa Cola, *Promontorio*, huius nominis, vrbs impositа, eaque munita, ad sinum Mexicanum

11. Apalachos, seu *Fort des Biloches*, oppidum cum castro, ad sinum S. Spiritus.

12. S. Petro, *S. Petrus*, munitio valida, ab omni adparatu militari instructa.

13. S. Mattheo, *S. Matthaeus*, oppidum paruum, castello firmatum.

14. S. Augustino, *S. Augustinus*, vrbs eximia, cum portu castroque.

II. BARBARA FLORIDA, per interiora propagata inter diuersas Nationum tribus, diuisa est.

§. III.

Adiicitur, *vrbium* praecipuarum, in *Florida*, tabula.

1. *Metropoles:* Carolina, Fort Louis, S. Augustino.

2. *Portus:* Charles-Town, S. Augustino.

§. IV.

Quod, ad *naturalem* Floridae *statum*, adtinet.

1. Re-

1. Regio, in qua, *eadem*, quae in Barbaria Africae, *temperatura* coeli, et agrum *fertilem*, et aerem habet *salutarem*. Qua de causſa, plerique indigenarum, *annum quinquagesimum*, supra *centesimum*, absque vllo morbi sensu, adtingunt.

2. Exuberat ager foecundus, in quo, duae possunt fieri messes, rebus diuersis; et in *vegetabilibus* quidem, frumento, oryza, vitibus, pomis citreis, aurantiis, ficubus, abietibus, cedris, aliisque lignis caeduis; in *animalibus*, pecore, leonibus, vrsis, ceruis, vris, felibus siluestribus, feris diuersis; in *mineralibus*, ramentis auri, et aeris cyprii fodinis.

3. Incolae, quamuis per indolem natiuam, et *sani* sunt, et *robusti*: ad *desidiam* tamen ac *voluptatem*, magis quam ad occupationes honestas, propendent. In Europaeos magna interdum crudelitate vtuntur. Incedunt nudi, tintinnabula, pro inauribus, gestantes.

§. V.

Quoad *ciuilem* Floridae *statum*:

1. Regimen, *despoticum*; apud indigenas, inter complures Regulos; *prouinciale*, in coloniis Europaeorum, inter *Hispanos*, *Gallos*, atque *Anglos*, diuisum est.

2. Religionis, idem, quod in *Canada*, in *Florida* quoque, discrimen est. Indigenae *Paganismo* addicti, cum sole, luna, ceterisque sideribus, malum genium turpiter adorant. *Europaei*, in coloniis, Deum verum, ritu Christiano, et quidem, partim *Romano-Catholico*, partim *Reformato Anglicano*, colunt.

3. Litterarum ac rei *nummariae*, nullum inter *barbaros* indigenas, pretium est. Vtrumque, nihilominus, locum habet in coloniis *Europaeorum*.

SECTIO IV.

DE

NOVA MEXICO, ET CALIFORNIA.

§. I.

NOVA MEXICO, vastum terrarum tractum, a Florida atque Canada, fine fine cognito, extensum, ambitu suo comprehendit.

§. II.

Distinguitur, partim sinu maris Vermeio, seu Rubri, partim terrarum tractu, in NOVAM MEXICO, et CALIFORNIAM, vicinasque regiones.

§. III.

NOVA MEXICO, anno 1528. a *Marco de Nisa* Monacho detecta, provincia est Hispanica, in REGIONES IV. divisa.

I. NOVA MEXICO, REGIO, ab Hispanis colitur. In qua,

1. S. Fe, *S. Fe de Granada*, vrbs prima, opere solido constructa, Gubernatorem ac Episcopum hospitio excipit.

II. CIBOLA, REGIO, aliis NOVA GRANADA dicta, inde sequitur.

1. Cibola, seu *Granada Nouvelle*, vrbs praecipua, mercatu clara.

2. Tinquez, et *Acoma*, oppida duo, laxitatis mediocris.

III. QVIVIRA et ANIA, Regiones Europaeis, quod incolae crudeles et antropophagi sunt, parum hucdum cognitae.

§. IV.

CALIFORNIA, cum QVIVIRA, atque ANIAN terris, conne-

connexa, sine fine certo, per oram *occidentalem* procurrit, ab Anglis, Noua Albion vocata, peninsula est, mari *Vermeio*, seu *Purpureo* a continente Nouae Mexico seiuncta, quam Europaei, ob sterilitatem, missam fecere.

§. V.

Adnectatur, locorum praecipuorum, in *Noua Mexico*, tabula.

1. *Episcopalis* vrbs, vna est, S. Fe.

2. *Metropolis*, eadem S. Fe, electa est.

§. VI.

Quod, ad *naturalem* Regionis *statum*, adtinet.

1. Regio, *eiusdem*, cum Barbaria Africae, et Hispanica, *positus*, quamuis, plurimis in locis, et fertilis sit, et *salubris*: propter incultum tamen agrum, negotiatoribus Europaeorum, minus vtilis esse videtur.

2. Res, quas tellus fert, maxime cognitae sunt; *gramen*, pecus diuersi generis, et praeterea, vt plerique volunt, lapides pretiosi.

3. Incolae, *traductis*, sicut nonnulli autumant, ex *Asia*, per continentem *coloniis*, parem, cum *Scythis*, Hunnis, hodiernisque *Tartaris*, et indolem, et morem, seruare dicuntur.

4. Viuunt, *Nomadum* more, sine *oppidis*, villis, ac magistratibus, ex *pecuaria*, ac inprimis venatione et aucupio. Quorum plerosque, *feros*, siluaticosque esse perhibent.

§. VII.

Quoad *ciuilem*, Regionis *statum*:

1. Regimen, inter *barbaros*, Nomadum quippe more, sine magistratibus viuentes, *nullum* est. *Hispani*, regionem, quam tenent, iure *prouinciali*, per *Gubernatorem* administrant.

2. Religionis, apud *indigenas* siluaticos, cura *nulla* est. *Christianam*, eamque *Romanam Catholicam*, in coloniis Hispanicis, Episcopus vnus, in S. Fe, regit.

SECTIO V.

DE

MEXICO, SEV NOVA HISPANIA.

§. I.

NOVA HISPANIA, seu MEXICVM, in medium Americae, Isthmum versus, inter sinum Mexicanum et mare Pacificum, immergitur.

§. II.

Diuiditur, in PRAEFECTVRAS III., quas Hispani, AVDIENCIAS nominant, isto ordine:

I QVADALAXARA PRAEFECTVRA, seu AVDIENCIA, item *Noua Gallicia*, in regione superiore, Tropico Cancri subiecta, PROVINCIAS VII. nempe *Biscaiam Nouam*, *Chiamatlan*, *Cinaloam*, *Culiacan*, *Guadalaxaram*, *Xalisco* et *Zacatecas*, continet. In his oppida sunt:

1. S Ivan, *S. Ioannes*, vrbs mercatu insignis, in prouincia *Nouae Biscaiae*, ad *septentionem*.

2. S Iago, et *S. Philippo*, munitio, in prouincia *Cinaloa*, ad mare Vermeio.

3. S. Miguel, *S. Michael*, munimentum, in prouincia *Culiacan*.

4. S Sebastian, *S. Sebastianus*, oppidum, *Chiamatlae* prouinciae praecipuum.

5. S. Louis de Zacatecas, cum *Durango* propugnaculo, et episcopatu, ad *Zacatecas* prouinciam pertinet.

6. Guadalaxara, *Guadalaxarae* prouinciae, vrbs prima, sede

ſede epiſcopi, et tribunali incluta, in agro amoeno foecundoque.

7. Compoſtella, *Xaliſco*, et *La Purification*, oppida exilia, in prouincia Xaliſco.

II. MEXICVM PRAEFECTVRA, ſeu AVDIENCIA, in medio, PROVINCIAS VII. complectitur, quarum haec ſunt nomina: *Guaxaca*, *Iucatan*, *Mechoakan*, *Mexico*, *Panuco*, *Tabaſco*, et *Tlaſcala*. In queis:

1. Mechocan, ſeu *Valladolid*, vrbs epiſcopalis, in prouincia cognomine.

2. S. Antonio, et *S. Iago*, portus duo.

3. Aquapulco, *Portus Aquae Pulchrae*, vrbs, et portui et negotiationi, percommoda.

4. Guaxaca, *Guaxaca*, vrbium prima, eaque magna, in valle iucunda.

5. Antequerea, *Antequera*, epiſcope et mercatu inclyta, in mediterraneis.

6. Aquatulco, *Aquaetulco*, portus, in mari Pacifico.

7. Victoria, olim *Potanchan*, atque *Tabaſco*, oppida eximia, in prouincia huius nominis, verſus ſinum Mexicanum diuergunt.

8. Cozumel, *Iucataniae prouinciae*, inſula, in qua, veſtigia religionis Chriſtianae, cruces ſcil. et ſpecies quaedam baptiſmi et circumciſionis, ab Hiſpanis inuenta ſunt.

9. Neu Valladolid, *Nouum Valladoletum*, et *Campechi*, vrbs ligno colori inducendo apto, et portu caſtro munito, celebris, inde ſequuntur.

10. Merida, *Merida*, caput regionis, Gubernatorem ac Epiſcopum hoſpitio excipit.

11. Salamanca, et vltra, *Spirito Santo*, portus, ad ſinum Mexicanum.

12. Vera Crux, vrbs cum portu capace.

13. S. Ivan de Ullua, *Fanum S. Ioannis de Vloa*, emporium cum portu castello munito, paullo infra.

14. La Puebla de los Angelos, *Angelopolis*, vrbs elegans, episcopatu et artificiis clara, in *Tlascala* provincia.

15. Tlascala, *Tlascala*, metropolis, olim respublica, in eodem tractu, nota vasis testaceis.

16. Xalappa de la Vera Crux, et *Tanasco*, episcopatus duo.

17. Villa Ricca, *Villa Diues*, portus, rerum commerciis clarus.

18. Mexico, *Mexicum*, *Tenoxitla*, seu *Temistitan*, quondam dicta, et Regum Mexici regia, hodie Americae Hispanicae metropolis, omnium est splendidissima et ditissima, duos inter lacus posita, in qua, Prorex et Archiepiscopus, cum academia, et tribunali inquisitionis, sedem posuere.

19. Panuco, et *S. Iago de las Valles*, oppida duo, in prouincia Panuco iacent.

III. GVATIMALA PRAEFECTVRA, seu AVDIENCIA, in austrum, versus Isthmum abit, in PROVINCIAS VIII. diuisa, *Chiapa* videlicet, *Costa Ricca*, *Guatimala*, *Honduras*, *Nicaragva*, *Veragva*, *Vera Pax*, et *Soconusco*.

1. Vera Paz, *Vera Pax*, vrbs praecipua, cum episcopatu, in prouincia cognomine, ad sinum *Honduras*.

2. Valladolid, *Valladolettum*, vrbs eximia, et *Truxillo*, portus, infra sinum, in prouincia eiusdem nominis.

3. Leon, *Legio*, vrbs episcopalis, prope ad lacum, vsque ad mare Pacificum diffusum, in prouincia *Nicaragua*. Haud procul hinc mons igniuomus abest.

4. La

4. La Conception, vrbs epiſcope et portu exornata, in prouincia *Veragna*, prope ad Iſthmum Panamicum.

5. Carthago, *Carthago*, vrbs ſede Epiſcopi et Gubernatoris memoranda, in prouincia *Coſta Ricca*.

6. Golfo de Salinis, et *Nicoya*, portus duo.

7. Granada, *Granada*, vrbs, mercatorum domiciliis nobilitata.

8. S. Miguel, et *La Trinidad*, portus duo, ad prouinciam *Guatimalae* pertinentes.

9. S. Salvador, *S. Saluator*, vrbs maritima, caſtro communita, in eadem prouincia.

10. Guatimala, *Guatimala*, vrbs, in prouincia cognomine, inter duos montes ſita, quorum vnus ignem, altem aquam eructat.

11. Tecoantepeque, *Tecoantepequa*, portus capax, in *Soconuſco* prouincia.

12. Chiapa, *Chiapa*, vrbs antiqua, priſcae Americanorum nobilitatis ſedes eſt, in mediterraneis, in prouincia *Chiapa*.

13. Ciuidad Real *de Chiapa*, vrbs eximia, eiusdem cum priori praerogatiuae, ab Hiſpanis incolitur, ſede Epiſcopi et Gubernatoris celebris.

§. III.

Proponitur, *vrbium* praecipuarum, in *Noua Hiſpania*, tabula.

1. *Archiepiſcopatus*, vnus eſt, Mexicanus, in vrbe Mexico, cuius iurisdictio extendit ſe, per Nouam Hiſpaniam.

2. *Epiſcopatus X.* ARCHIEPISCOPO MEXICANO ſuffraganter: Durango, Mechoaconus, Antequarenſis, ſeu Quaxacanus, Quatimalae, Conceptionis, Leon Nicaraquae,

Verae Pacis, Meridae, in Iucatania, Chiappenſis, Angelopolitanus, ſeu Taxcalenſis.

3. *Academiae II.* Mexici, et Quatimalae.

4. *Metropoles* Praefecturarum tres ſunt: Mexicum, Quadalaxara, Quatimala.

5. *Portus:* S. Antonio, S. Iago, Aquapulco, Aquatulco, La Trinidad, S. Miguel, Nicoya, Golfo de Salinis, La Conception, Truxillo, Campeche, Salamanca, Villa Ricca.

§. IV.

Quod, ad *naturalem* regionis *ſtatum*, adtinet:

1. Regio, ſub *Zona* coeli *torrida*, in qua ſol, quamuis aeſtuans, partim propter *pelagus*, et *rorem* matutinum, partim propter zephyrum, omnia habet *contemperata*, terram, *ſegetis vitisque*, ſed quarum neutra admittitur, feracem admodum experitur.

2. Profert, in *vegetabilibus*, frumentum, gramen, lignum caedunm, et campeche, diuerſos arborum fructus, balſamum, ambram, aloe, caſiam, cannam, ſacharum, ſaſſaparillam, zingiber, mannam, goſſypium, herbam nicotianam; habet ſuper haec fructus ſibi proprios, vt ſunt: Nuchtlias, Pinar, Croiſſant blanc Magor, Magay; in *animantibus*, varia pecoris armenta, cumprimis boues, capras, oues, mulos, capreolos, zibethos, ex iisque moſchum, apes cum melle ac cera, bombyces et ſericum, piſcium et animalium varia genera, cumprimis pſittacos; in *mineralibus*, aurum, argentum, cuprum, rubinum, ſmaragdum, carbunculum turceſium, carbunculum chalcedonicum, agathem, chryſtallum, argyritim, lapidem bezoardicum, alumen, vitriolum, ſal, corallia, indicum.

3. Incolae, duplicis nominis regionem inhabitant. 1. *Hiſpanici*, in Europaeos, Americanos, qui et Crioles, item Hybridos, ſeu Meſticos, diſtinguuntur. 2. Inter *Indigenas*, Mexicani et Tlaſcalani, iique ſubſuſci, foecundi,

cundi, et ad virtutem, artes atque muſicam, proni, reliquorum praeſtantiſſimi eſſe cenſentur. Sunt nihilo-ſecius ſupra modum vindictae cupidi.

4. Sermo *Hiſpanicus*, et *Mexicanus*, promiſcuus eſt, inter vtramque nationem.

§. V.

Quoad *ciuilem* regionis *ſtatum*:

1. Prouincia, iuris *Hiſpanici*, a *Prorege*, Americae Septentrionalis, adminiſtratur. Qui, ne, auctoritate et opibus, ſupra modum creſcat: quolibet anno quinto dignitate hac exuitur; interdum vero, in aliud quinquennium, fauore Regis confirmatur.

2. Indigenae, amiſſa, cum *Motezuma*, Principe nimium ambitioſo, dignitate regia, in triſtem coniecti ſunt ſeru tutem, armis, ac libertate omni, prorſus ſpoliati.

3. Religio, *Chriſtiana*, ad normam Eccleſiae *Romano-Catholicorum*, ab Archiepiſcopo vno, Epiſcopis decem, et vno Inquiſitionis tribunali, quod ſedem Mexici poſuit, regitur. *Pagana*, quae olim, duo idolorum millia, praeter Vitzilopuchtli, ſeu *Vizli Puzli*, id eſt, Martem, et Teſcalipuca, ſeu *Fezcalipuca*, id eſt, Numen procurationis, ſuperſtitioſe colebat, quibus vtpote homines immolabantur, ſtudio Hiſpanorum eliminata, nonniſi occulte, a quibusdam Mexicanis fouetur.

4. Litterarum ſtudia, propagant, per Hiſpaniam Nouam, Doctores Europaei, cumprimis, in Mexicana et Quatimalenſi academia.

SECTIO VI.

DE

AMERICA MERIDIONALI,

Speciatim

DE

TERRA FIRMA.

§. I.

AMERICA MERIDIONALIS, ab *Isthmo Panamico*, ad fretum *Magellanicum*, inter Oceanum Aethiopicum, et mare Pacificum, protrusa, in TERRAM FIRMAM, PERVVIAM, AMAZONVM REGIONEM, BRASILIAM, PARAGVARIAM, TVCVMANIAM, REGIONEM CHILI, et TERRAM MAGELLANICAM, REGIONES VIII. distinguitur.

§. II.

TERRA FIRMA, primum quidem, CASTILLA AVREA, *Castila d' Oro*, a Castillianis cognominata, inde ab *Isthmo Panamico*, vsque ad Peruuiae et Amazoniae regiones, inter duo maria procedit. Quorum,

1. Mare del Nord, *Mare Atlanticum*, pars *Archipelagi Mexicani*, in ortu est.

2. Mar del Zur, *Mare Pacificum*, cum *Sinu Panamico*, Golfo di Panama, in occasu.

§. III.

Diuiditur, Terrae Firmae Prouincia, pro magnitudine regionis, in PRAEFECTVRAS X. isto, qui sequitur, ordine.

I. PANAMA, Isthmo Panamico continetur. In cuius agro sunt:

1. Panama, *Panama*, metropolis, castro portuque communita, in quam, aurum et argentum, ex Peruuia aduehi-

aduehitur, indeque transfertur, per continentem, ad portum Bello, ſinui Panamico adiacet.

2. Pericos, *Perica*, portus, Panamico multo capacior, in quem, opes Peruuianae, ad portum Bello transferendae, adaeque inuehuntur.

3. Venta de Cruz, ad *Chiagra* amnem, oppidum tenue, in mediterraneis, per quod, opes Peruuianae, ad portum Bello deportantur.

4. Porto Bello, *Porto Velo*, *Portus Pulcher*, isque, propter claſſem ac negotiationem Hiſpanorum eximius, et tribus caſtellis communitus, minus tamen ſalubris, ad Archipelagum Mexicanum.

5. Nombre de Dios, *Onomatopolis*, vrbs quondam elegans, a Petro Darias conſtructa, hodie deſolata.

6. Darien, *Daria*, tractus ſoli feracis, a feris animantibus infeſtatur.

II. CARTHAGENA, anno 1532. ab Hiſpanis occupata, perpauca numerat oppida.

1. S. Sebaſtian, *S. Sebaſtianus*, oppidum recenter conſtructum, ad ſinum de Daria.

2. Carthagena, *Carthago Noua*, vrbs primaria, ampla ac diues, portu et validis munitionibus confirmata, ſedem praebet Gubernatori, ac Epiſcopo.

III. S. MARTHA, ſub radicibus montis *Neuedas*, ſeu *Andes*, complura colit oppida.

1. Occana, *Occana*, oppidum vile, in mediterraneis.

2. Tamalameque, *Tamalameca*, ſeu *Villa de las Palmas*, inde, ad amnem Magdalenae adſurgit.

3. Ramada, ſeu *Salamanca Noua*, cupri fodinis nota.

4. Ciuidad de las Reyes, ad montis *Andes* radices ſedet.

5. Barranca de Malambo, *Barranca*, emporium inſigne.

6. S.

6. S. Martha, *Sancta Martha*, vrbium prima, cum portu, et episcopatu, sede Gubernatoris ornata.

7. Rio della Hacha, ad amnem *Hacha*, mediocris equidem, at vero margaritarum prouentu insignis.

8. Capo della Vela, et *Capo Coquibocca*, promontoria duo, nautis cognita.

IV. VENETIOLA, Venezuela, ad modum Venetiarum aedificata, anno 1528. *Welsero Augustano* concessa, et anno 1545. ab Hispanis recuperata, praestantibus ornata est oppidis.

1. Maracaibo, *Macaribo*, portus, sinui Venezuelae adsitus.

2. Venezuela, *Venetia Parua*, seu *Caro*, vrbs primaria, et episcopalis, salo imposita.

3. Truxillo, seu *Nostra Sennora de Paz*, oppidum tenue.

4. Verine, *Verina*, propter herbam nicotianam cognita.

5. S. Iago de Leon, *Iacques de Leon*, vrbs parua, at, sede Gubernatoris et confectura ex cacao (chocolate) incluta.

6. Guiara, *Guiara*, portus, isque capax.

V. NOVA ANDALVSIA, anno 1508. a *Martino de Villagarzias*, peremto regulo, occupata. In eius ditione sunt:

1. Tocojo, Hispanis, *S. Margaretha* dicta, metropolis est.

2. Comana, seu *Noua Corduba*, ab Hispanis, in ora maritima condita, cuius littora Costa de las Perlas, ob vniones hic repertos, vocantur.

3. S. Thomas, *Sanctus Thomas*, sedes Gubernatoris, ad fluuium Oronoque.

VI. CARIBANIA, Prouincia, per litoralem maris Atlantici oram prolata, in diuersas distinguitur Ditiones.

1. Bataua Ditio, *Coloniis* frequens, haec habet oppida:

Neu

Neu Middelburg, ad fluuium *Suriname*, cum *Seland* et *Sommelsdyck* munitionibus *Brebice*, colonia, et praeterea, *Esquibe* atque *Cassinie*, territoria perampla.

2. Anglicana Ditio, *Maroni* coloniam, et praeter eam, nullam aliam habet.

3. Francica Ditio, *S. Louis* munitionem, et *Bourg* coloniam, in Caienna, insula, continet, et praeterea, *Corou*, *Sinamari*, *Cononamo*, atque *Comaribo*, colonias.

4. Barbara, *Caribum*, et *Canibalorum*, Ditio, mediterranea Prouinciae occupauit.

VII. GVIANA, Aequatori et praepotenti subiecta Regi, nondum ex omni parte cognita est Europaeis.

1. Manoa, *Dorado*, ab aureis statuis cognominata, splendida Regum sedes esse dicitur.

2. Parimet, *Lacus*, ingentis magnitudinis, centum milliaria longus, quadraginta latus perhibetur esse.

VIII. PARIA, positus, sicuti *Guiana*, dubii, in qua,

1. Tamara, *Tamara*, caput regionis esse dicitur.

2. Fluuius Paria, quem alii, *Oronoque* vocant, Pariam prouinciam, a Guiana Propria, quorundam opinione, discriminat.

IX. NOVA GRANADA, montibus circumcincta, anno 1536. in potestatem venit Hispanorum.

1. S. Fe, cognomento, *de Bogota*, metropolis eximia, eaque, cum archiepiscopatu, tum sede regiminis, incluta.

2. Velaz, *Velazia*, munitio est mediocris.

X. POPAYAN, in Peruuiae finibus, inter vtramque dividitur regionem. Vbi:

1. S. Fe de *Antiquera*, vrbs culta, et episcopalis.

2. Po-

2. Popayan, *Popayania*, vrbs primaria, et sede episcopi nobilitata.

3. Gorgona, insula, ob margaritas, celebris.

§. IV.

Sequitur, *vrbium* praecipuarum, in *Terra Firma*, tabula.

1. *Archiepiscopatus I.* S. Fe de Bogota.

2. *Episcopatus VI.* Panama, Limensi; Carthagena, S. Martha, Venezuela, S. Fe d' Antiquera, Popayan, Sanctae Fidei de Bogota, Archiepiscopis, suffragantur.

3. *Metropoles:* S. Fe de Bogota, Panama, Carthagena, S. Martha, Venezuela, S. Iago de Leon, S. Thomas, Popayan.

4. *Portus:* Panama, Pericos, Porto Bello, Carthagena, S. Martha, Maracaibo, Guiara.

§. V.

Quod, ad *naturalem* regionis *statum*, pertinet:

1. Regio *montosa*, et, a sinu Mexicano, ad lineam *Aequinoctialem* porrecta, ingentem habet terrae *ardorem:* sed qui, partim aquilonibus, partim imbribus statis, *temperatur*, efficitque agrum, non minus rei agrariae, quam pecuariae, idoneum.

2. Ferax ea est rerum variarum: e quibus commendantur, inter *vegetabilia*, frumentum Indicum, lignum caeduum, Brasilienſe et odoriferum, morus, pix, gummi, ambra, piper, aroma, balsamum, gossypium, radix mandioca; inter *animantia*, pecus diuersi generis, oues, asini, leones, leopardi, crocodili, serpentes ac vespertiliones ingentis magnitudinis, simii, ceropitheci, galli Indici, psittaci, bombyces cum serico; inter *fossilia*, aurum, magna in copia, argentum, cuprum, smaragdus, iaspis, porphyrites, marmor, colores varii.

3. In-

3. Incolarum diuerſae ſunt in Prouincia nationes. 1. *Europaei*, in Hiſpanos, Gallos, Anglos, atque Batauos, diſtinguuntur. 2. *Indigenae*, facie ſpadicea; ex venatione, piſcatu, agricultura, et re pecuaria, viuunt; illa virorum, haec feminarum occupatio. Inter quos, *Caribes*, ſeu *Caribanes*, *Canibales*, antropophagi, ferum ac ſilueſtre hominum genus, viuacitate reliquos antecellunt, quando viri annos 160. nati, et mulieres octogenariae liberos procreare non deſinant. Caeterum incertis vagantur ſedibus; ſunt, qui eos in arboribus tuguria ponere adſerunt.

§. VI.

Quoad *ſtatum* regionis *ciuilem:*

1. Prouincia *Terrae Firmae*, iuris Hiſpanici, in *Praefecturas* VII. diuiſa, a *Gubernatoribus*, auctoritate *Proregis*, in America Meridionali, adminiſtratur. *Caribania*, Anglorum et Batauorum iure prouinciali, regitur.

2. Religio *Chriſtiana*, eaque *Romano-Catholica*, in prouincia Hiſpanica et Gallica, ab Archiepiſcopo vno et ſex Epiſcopis, propagatur; *Reformata*, partim ab Anglis, partim a Batauis, in Caribaniae fouetur coloniis. *Pagana*, partem maximam, Hiſpanorum prouidentia ſufflaminata, apud Caribes antropophagos, ſuperſtitione ſacrificulorum conſeruatur.

3. Litterae humaniores, in collegiis et gymnaſiis, a viris eruditis ex Europa huc locorum traductis, proponuntur.

SECTIO VII.

DE

PERVVIA.

§. I.

PERVVIA, *Peru*, olim *Tabanticiuo*, regio ampliſſima, a linea *Aequinoctiali* ad *Tropicum Capricorni*

exit; clauditurque, in *septentrione*, Terra Firma; in *ortu*, Amazonum Regione et Paraquaria; in *meridie*, Tucumannia et Chili Prouincia; in *occasu*, mari, quo substringitur, Pacifico.

§. II.

Dissecta, per medium, *Andes* montibus, qui ex Terra Firma, vsque in Chili Prouinciam, propagantur iugis perpetuis, pro administrationis modo, in PRAEFECTVRAS III., quas *Audiencias* vocant, diuiditur.

I. QVITO PRAEFECTVRA, seu AVDIENCIA, superiorem prouinciae tractum occupauit. Ad cuius iurisdictionem relata sunt.

1. S. Miguel, *S. Michael*, oppidum paruum, mercatu nobile, in ora maris Pacifici litorali.

2. Puna, *Puenza*, insula, in qua Pizarus, classis Hispanicae praefectus, detecta regione; anno 1526. substitit.

3. Tumbez, et *Puerto Vejo*, portus duo, ex quorum priore, Franc. Pizarus in continentem exscendit

4. Quito, *Quitoa*, vrbs in prouincia cognomine prima, eaque, episcopatu, et academia, ornata.

5. Baeza, *Quixos* prouinciae, primaria.

6. Seuilla d' Oro, *Seuilla Aurea*, vrbs eximie venusta.

7. Valladolid, *Valladoletum*, vrbs elegans et frequens, eaque, in prouincia *Pacamoros*, praecipua.

8. S. Iago de las *Montanas*, loco montoso, inter colles arduos, iacet.

II. PRAEFECTVRA REGVM, *Audiencia de los Reyes*, in medio regionis sita, vrbium frequentia, reliquas antecellit.

1. S. Iuan de la Fronteras, et *S. Iage de los Valles*, vrbes speciosae, in Amazonum finibus.

2. S.

2. S. Franciſco della *Victoria*, oppidum mercatu bellariorum celebre.

3. Cuſco, *Cuſcum*, quondam Regum Peruuiae regia, hodie, vrbs epiſcopalis, eaque magna, in qua vtpote 8. templa, 5. clauſtra, et feſſorum ad 50000. reperiuntur, nundinis, et optimis Americae pictoribus memoranda.

4. Arequipa, in *Quilca*, prouincia, vrbs epiſcopalis, et colonia Hiſpanorum.

5. Ylo, *Yloa*, portus, negotiatoribus percommodus.

6. S. Miguel della *Ribera*, portus eximius.

7. Valverde, *Villa Verda*, vrbs elegans, in valle *Ica*.

8. Piſco, *Piſcoa*, vrbs portu rerumque, ac inprimis vini commercio nobilitata.

9. Oropeſa, *Oropeſa*, argenti viui fodinis clara.

10. Callao, *Callao de Lima*, vrbs cum portu capaci, anno 1746. terrae motu concuſſa, et aquis Oceani, merſa.

11. Lima, *Los Reyes*, primum adpellata, metropolis erat regionis, et ſedes Proregis, epiſcopi, Tribunalis atque academiae, reliquarum, et praeſtantiſſima et ditiſſima, ſed anno 1746. terrae motu ſolo aequata, quo 74. templa, 14. clauſtra corruerunt, et ad 70000. hominum obruta.

12. Truxillo, in *Chimo* prouincia, laxa eſt, eaque, epiſcopatu, portu et negotiatione, nobilis.

13. Mira Flores, in *Zana* valle, vrbs mediocris laxitatis, a mercatoribus inhabitatur.

III. PRAEFECTVRA CHARCARVM, *Audiencia de las Charcas*, a Prouincia Charcas; argenti in Peruuia, foecundi. a, denominata, in extremo meridie conſedit. Vbi,

1. Arica, insulae *Guanae*, cum portu obiecta, mercatu celebris, vbi in portandis mercibus negotiatores ouibus vtuntur.

2. Copiapo, in *Atacama*, auri, plumbi atque cupri ferax.

3. Potosi, *Argyropolis*, ciuitas ampla, copiosa, et argenti fodinis, quas an. 1540. Indus quidam, rupicapram consectando, euulso frutice agresti, forte detexerat, famosissima. Reges Hispaniae, quibus quarta pars redituum cedit, intra 50. annos, supra 436. milliones aureorum nummuum hinc, accepisse perhibentur.

4. La Plata, *Argentea*, vrbs speciosa, sub radice montis Potosi, tribunali, et Archiepiscopatu clara.

5. S. Crux, *S. Cruz de la Sierra*, tractus maxime australis, cum episcopatu, in Paraquariae limite.

§. III.

Adiicitur, *vrbium* praecipuarum, in *Peruuia*, tabula.

1. *Archiepiscopatus I.* Argentensis.

2. *Episcopatus*, qui, intra et extra Peruuiam, suffragantur, sunt: 1. Sub ARCHIEPISCOPO ARGENTENSI: Cusco, Quito, Arequipa, Truxillo; Guamanga, in *Peruuia*; Panama, in *Terra Firma*; S. Iago, La Conception, in *Chili* regione. 2. Sub ARCHIEPISCOPO PLATENSI, in Paraquaria, La Paz, seu Chuquiaca, Santa Cruz de la Sierra, vid. Cap. III. Sect. VI.

3. *Metropoles:* Cusco, Quito, Potosi.

4. *Portus:* Puerto Veio, Tumbez, Truxillo, Pisco, S. Miguel della Ribera, Ylo, Arica.

§. IV.

Quod, ad *naturalem* Peruuiae *statum*, adtinet.

1. Regio, ardenti coeli *Zonae* subiecta, (in vertice nihilosecius montium *Andes*, homines extemplo congela-

re

re perhibentur) quamuis *aestatem* habeat *perpetuam*, eamque praetorridam: tamen et *coelum* experitur *placidum*, et *agrum*, quem crebriores humectant nebulae, cumprimis in regione maritima, vbi fere nunquam pluit, (fulgura et tonitrua his locis sunt ignota) rerum omnium satis *foecundum*.

2. Res, quibus Peruuia, opes Americae adaequat, sunt' ex *vegetabilibus*, gramen, vitis, canna, sacharum' gummi, sassaparilla, China Chinae; ex *animalibus*, equi; qui tamen facile pereunt, oues mirae magnitudinis, portandis oneribus pares, camelis quoad formam similes, asini, muli, ferarum item varia genera; ex *fossilibus*, aurum, argentum, aes cyprium, plumbum, argentum viuum, sulphur, sal, magnes, lapis Lazuli, color vitramarinus.

3. Incolunt regionem, in *ora litorali*, *Hispani*, pari ratione, sicut in Noua Hispania, in Europaeos, Crioles, atque Mesticos, diuisi; in *interioribus*, *Indigenae Peruuiani*, omnium, qui Americam inhabitant, olim, dum iure suo vixerant, cultissimi, texenda inprimis tela celebres.

4. Sermo *Peruuianus*, non minus indigenis, quam vicinis Nationibus familiaris est. *Hispanicus*, in coloniis Hispanorum, sedem posuit.

§. V.

Quoad *ciuilem* regionis *statum*:

1. Peruuia, in prouinciam Hispanorum, anno 1533. a *Francisco Pizaro* redacta, distinctaque in *praefecturas* III *Proregis* Americae Meridionalis, qui quolibet anno septimo, de prouincia decedere solet, pariter atque *Tribunalis Argentensis* auctoritate, administratur. *Indigenae*, post sublatam, cum *Huascar* et *Athapaliba*, Regibus, quos Inga vocabant, potestatem regiam, in tristem coniecti seruitutem, Hispanorum subiacent magistratibus.

2. Vires *Hispanorum*, ad continendam in obsequio Americam, hac in regione, maximae sunt. Constant illae, partem ex *praesidiis*, militeque *prouinciali*; partem ex *classe*, in mari Pacifico, pro America excubante.

3. Religio *Romano-Catholica*, partim ab *Archiepiscopo* vno, et septem *Episcopis*; partim, a *Tribunali inquisitionis*, summa cum cura, inter Indigenas barbaros, propagatur.

4. Litterae, in Academia Quitoensi, magna cum diligentia traduntur. Ante Europaeorum in has oras aduentum, indigenae, pro litteris, variis vtebantur figuris imaginibusque, et, quoad eius fieri potuit, Geographiae, Geometriae, Astronomiae, et Medicinae studebant.

SECTIO VIII.

DE

AMAZONIA.

§. I.

AMAZONIA, Amazonvm Regio, seu, a flumine cognomine, seu, a feminis Amazonibus denominata, inter Terram Firmam, et Paraquariam, Brasilia ac Peru Regionibus, coarctatur.

§. II.

Flumen *Amazonum*, vt natum est: ita, per *mediam* descendens *regionem*, *compluribus* acceptis *amnibus*, (plerisque in locis ad 30. milliaria latum memoratur) vsque ad *litora* permeat, ibique late diffusum, in Oceanum cadit.

§. III.

Distinguitur, Regio vasta, in Mediterraneam et Litoralem, Regiones, bifariam.

I. LI-

I. LITORALEM ORAM, inter Guianam Terrae Firmae, et Amazonum oſtia, Portugalli tenent. Occurrunt hic:

1. Capo Nord, ſeu, *Capo de Race*, in Guianae finibus. Promontorium hoc alii ad *Terram Firmam* referunt, Gallisque attribuunt.

2. Coloniae *Portugallorum*, in ora maritima poſitae.

II. MEDITERRANEAM REGIONEM, diuerſae incolunt Indigenarum nationes, iſto ordine:

1. Conures, in Coropa; et *Aguares*, in Apanta, Provinciis *occidentalibus*, ſupra flumen.

2. Gvayaribes, *Curis*, *Tecunes*, inter Caribaniam et Apariam, in *ortu*.

3. Tacuries, *Pacuanes*, *Curianes*, per eandem plagam *ortiuam*, infra flumen, in extremam regionem auſtralem exeunt.

4. Cuſignares, *Yorimanes*, *Vrubingues*, *Surines*, et *Anormares*, medium regionis, infra flumen, occuparunt.

5. Amazones reliqui, in *Tapayſa*, et *Paranayba*, Provinciis *occidentalibus*, vſque ad oſtia fluminis, propagantur.

§. IV.

Quod, ad *naturalem* Amazoniae *ſtatum*, adtinet.

1. Regio, inter *Aequatorem*, ac *Tropicum Capricorni*, intercepta, quamuis immodicum terrae habet *feruorem*: tamen, et *ſegetes* fert ſolibus opportunis *torrefactas*, et arbores eminentes.

2. Profert, namque, regio foecunda, inter reliquas naturae opes, *cedrum*, *ebenum*, *coccos*, lignum Braſiliae, *balſamum*, cannam, *ſacharum*, gummi, *herbam nicotianam*, et varias *colorum* ſpecies.

3. Indigenae, *robusti* quidem, sed crudeles *antropophagique*, in varias diuisi *tribus*, et, apricantur, et sedes mutant, *Nomadum* more. Quorum vxores, propter vsum rei militaris, quam *Franc. Orelhamus*, natione Portugallus, primus ex Europaeis obseruauit, *Amazones* dictae, et a societate nuptiali seiunctae, nonnisi quater, intra decursum anni, cum viris coeunt.

§. V.

Quoad *ciuilem* Amazoniae *statum:*

1. Regimen, inter Amazonum nationes, nullum est. Pollent, nihilominus, Primores virique senes, in tribubus singulis, auctoritate summa. *Portugalli*, quibus prouincia haec, ab Hispanis Gallisque, pace Vltraiectina, anno 1713. concessa est, in ora, quam tenent, maritima, iure vtuntur prouinciali.

2. Religione, quamuis *pagana*, quaedam Amazonum nationes, Deum colunt. Plerique, inter eos, sine Deo, et sine religione viuunt, *Atheorum* more. Portugalli, religionem *Christianam*, secundum ritum *Romano-Catholicum*, in Ora litorali propagant.

SECTIO IX.

DE

BRASILIA.

§. I.

BRASILIA, a ligno huius nominis adpellata, et, a linea *Aequinoctiali*, ad *Tropicum Capricorni*, latissime extensa, in *ortu* quidem, Oceano Aethiopico; in *occasu*, partim Amazonum regione, partim Paraquaria, terminatur.

§. II.

Adluit prouinciam, in ora aquilonari, flumen *Amazonum*, indigenis *Orelhana* dictum; idque, omnium, quae

super

ſuper tellurem defluunt, hac regione, maximum, et rapidiſſimum. Namque, prope ad oſtium, *triginta milliaria* diffuſum, iſtaque amplitudine euolutum in pelagus, aquas Oceani, per *decem milliaria* ſecat.

§. III.

Diuiditur, pro adminiſtrationis ratione, in PRAEFECTVRAS, ſeu CAPITANIAS XIV.

I. PARIA PRAEFECTVRA, *Capitania de Para*, oſtiis fluminis Amazonum adiacet. In eius ditione ſunt:

1. Paria, *Para*, vrbium primaria, ad oſtia fluminis.

2. Commota, et, *Cayete*, oppida praecipua, muro incincta.

II. MARAGNAN PRAEFECTVRA, *Capitania de Maragnan*, in qua:

Maragnan, *Maragnania*, vrbs epiſcopalis, in inſula.

III. SIARA PRAEFECTVRA, *Capitania de Siara*, ab amne denominata, haec habet praecipua loca:

1. Siara, *Siara*, vrbs primaria, caſtro confirmata, ad mare.

2. Cabo *Cors*, promontorium celebre, dextram verſus.

IV. RIO GRANDE PRAEFECTVRA, *Capitania de Rio Grande*, fluuio huius nominis irrigatur. Eius ſunt:

1. Natal *Los Reyes*, vrbs praeſtans, et frequens.

2. Capo S. Roch, ſeu *S. Rocas*, promontorium nautis cognitum.

V. PARAIBA PRAEFECTVRA, *Capitania de Paraiba*, inde ſequitur. In qua,

1. Frederickſtadt, *Fridericopolis*, olim *Paraiba*, ad normam vrbium Europaeorum conſtructa, triplici circumſepta eſt aggere.

VI. TAMARACA PRAEFECTVRA, *Capitania de Tamaraca*, tractus angusti. Huc spectant.

1. Tamarac, *Tamaraca*, vrbs eximia, in insula.

2. Fort Olinde, *Olinda*, munitio prima.

VII. PARANAMBVCA PRAEFECTVRA, *Capitania de Parambuca*, seu *Fernambuco*. Pertinent ad eam:

1. Olinde de Parnambuca, *Olinda*, vrbium prima, episcopatu, ac portu aucta, et loco sita iucundo, Americae Portugallorum paradisus.

2. Reciffe, *Ripeba*, munitio valida, in Batauorum potestate.

3. Cabo *S. Augustino*, promontorium nobile, infra.

VIII. SEREGIPPE PRAEFECTVRA, *Capitania de Cirii*, exilis est.

Seregippe, *Seregippa*, vrbs bene munita, cum portu.

IX. BAHIA PRAEFECTVRA, seu *Sinus omnium Sanctorum*, *Capitania de Bahia de Todos Los Santos*, reliquarum princeps, ad sinum huius nominis.

S. Salvador, *S. Saluator*, metropolis totius Brasiliae maxima, ac ditissima, loco fertili posita, et portu atque tribus castellis communita, Gubernatori, Archiepiscopo, Senatusque collegio, sedem commodat.

X. RIO DOS ILHEOS PRAEFECTVRA, *Capitania Dos Ilheos*. In qua:

1. Villa de S. Georgio, *S. Georgii Ciuitas*, et *Rio das Ilhas*, vrbes praecipuae.

2. S. Cruz, seu *S. Antonio*, colonia est Portugallica.

XI. PORTVS SECVRI PRAEFECTVRA, seu, *Capitania de Porto Seguro*, a portu eximio nomen accepit: Vbi:

Por-

Porto Seguro, *Portus Securus*, vrbs frequens, atque munita, cum portu, et titulo Marchionatus.

XII. SPIRITVS SANCTI PRAEFECTVRA, *Capitania de Spirito Santo.* In eius ditione eſt:

Spirito Santo, *Fanum Spiritus Sancti*, vrbecula tenuis.

XIII. IANVARII PRAEFECTVRA, *Capitania de Rio Ianeyro*, ex qua, merces, in Portugalliam deuehuntur. Vbi:

1. S. Sebaſtian, *Fanum S. Sebaſtiani*, vrbs epiſcopalis, quatuor caſtellis communita, et portu.

2. Capo di *S. Thoma*, promontorium illuſtre.

XIV. SANCTI VINCENTII PRAEFECTVRA, *Capitania de Santo Vincente*, extrema eſt, in Paraquariae finibus, cum oppidis.

1. S. Vincent, *Fanum S. Vincentii*, ciuitas eſt ampla.

2. S. Amaro, *Fanum S. Amati*, vrbs frequentis coloniae.

3. Pauliſten, *Pauliſtae*, colonia piratarum, in Portugallorum clientela.

§. IV.

Subiicitur, *vrbium* praecipuarum, in *Braſilia*, tabula.

1. *Archiepiſcopatus* vnus eſt, in ciuitate S. Saluatoris.

2. *Epiſcopatus* ſuffraganei III. numerantur: Olindae, Maragnaniae, S. Sebaſtiani.

3. *Metropoles* illuſtres: S. Saluator, Olinde, Seregippe, S. Sebaſtian.

4. *Portus* eximii: Olinde, S. Saluator, Porto Seguro, S. Sebaſtian.

§. V.

Quod, ad *naturalem* Braſiliae *ſtatum*, adtinet:

1. Re-

1. Regio, in qua, etsi *feruente sole*, omnia ardescunt, attamen *peramoena* est, atque *foecunda.*

2. Terra ferax, res nutrit varias; et quidem, in *vegetabilibus*, frumentum, gramen, lignum Brasiliae, cannam, sacharum, herbam nicotianam, balsamum, ambram, crocum, radicem Mendiocae, gossypium; in *animalibus*, pecus ac feras diuersi generis, simios, psittacos, balenas; in *fossilibus*, aurum, argentum, iaspidem, crystallum, resque alias.

3. Inhabitant, in regione vasta, Oram Litoralem, *Portugalli*; interiora versus Amazoniam, *Indigenae*; iique corpore subfusci, animo feri, et antropophagi.

§. VI.

Quoad *ciuilem* regionis *statum:*

1. Prouincia, in Ora Litorali, iuris *Portugallici*, in XIV. *Praefecturas*, quas *Capitanias* nominant, distincta, auctoritate *Gubernatoris*, regitur.

2. Interiora *Brasiliae*, quae indigenae, *libertatis* studio occuparunt, incertis, vel nullis gubernantur magistratibus.

3. Religio *Christiana*, iuxta doctrinam, ac ritum *Romano-Catholicorum*, ab Archiepiscopo vno, et Episcopis tribus, in coloniis Portugallorum, propagatur. *Pagana*, superstitioso mali genii cultu, fouetur apud Indigenas.

4. Litteris humanioribus, *Europaei*, in collegiis atque gymnasiis dediti sunt.

SECTIO X.

DE

PARAQVARIA.

§. I.

PARAQVARIA, *Paraguay*, Regio de la Plata, Regio Argentea, Amazoniae ac Brasiliae regione, Oceano Aethiopico, Terra Magellanica, atque Tucumania, *concluditur.*

§. II.

Fluuio *Argenteo*, quem Hispani, *Rio de la Plata* appellant, per medium distincta, in Praefectvras VI, quibus alii, Terram Missionis addunt, diuiditur.

I. PARAQVARIA PROPRIA, *Paraguay*, in plaga aquilonari, regioni Amazonum subsita, haec habet oppida.

1. S. Fee, et *S. Ignatio*, oppida duo, mediocris laxitatis.

2. Villa Ricca, et *Maracaju*, oppida culta.

II. GVAYRA, seu ONTIVEROS, infra, ad Tropicum Capricorni prolata, limitem Brasiliae, cum paucis obsidet oppidis.

1. Guayra, *Guaira*, vrbium prima, et episcopalis est.

2. Giuidad Real, *Ciuitas Regalis*, vrbs ampla et frequens.

III. PARANA, in medio regionis est, cum oppidis:

1. Itapoa, *S. Ignatio*, quondam cognominata, ad fluuium *Parana.*

2. Incarnation, seu *Conception*, cum *S. Maria*, coloniae sunt Hispanicae.

IV. VRAGVAY, vsque ad mare Paraquariae excurrit. Vbi:

1. S.

1. S. Saluador, *S. Saluator*, vrbs praestans, et copiosa, ad fluuium de la Plata.

2. S. Gabriel, *Insula*, in flumine della Plata, castro communita, et *S. Sacrement*, colonia Portugallica, haud longe inde dissita, in Portugallorum potestate sint.

V. RIO DELLA PLATA, ad ostium fluminis, occidentali extensa latere, istis oppidis ornata est.

1. Buenos Aires, *Bonus Aer*, vrbs magna, episcopatu ornata, terrae motui tamen, obnoxia, anno 1540. ad ostia fluminis, condita est, diues pecorum.

2. S. Fe, *S. Fides*, vrbs episcopalis, supra, occidentali fluminis ripae adiacet.

3. Coriente, et *S. Lucia*, duae Hispanorum coloniae, supra, eidem flumini adpositae.

4. L' Assumption, *Assumptio*, metropolis, eaque, Gubernatoris, Archiepiscopi et Consilii regii, sede inclyta, in medio regionis, et orientali fluminis ripa.

VI. CHACO, Tucumanniae et Peruuiae limitibus constringitur. Pertinent ad eam:

La Conception, et, *Salta*, coloniae duae Hispanicae.

VII. TERRA MISSIONIS, *La Terre de la Mission*, inter flumen de la Plata, et Brasiliam intercepta, dicitur esse.

1. Vrbes et *oppida*, in nullis exprimuntur tabulis.

2. Ex *Indigenis* ad Christum conuersis, 300000. familiarum, in isto numerari perhibentur tractu.

§. III.

Ostenditur, *praecipuarum*, in Paraquaria *vrbium*, tabula.

1. *Archiepiscopatus* I. Platensis, cuius sedes, L' Assumption.

2. *Epi-*

2. *Episcopatus VII.* intra et extra Paraquariam, subsunt PLATENSI: Buenes Aires, S. Fe, L' Assumption, in *Paraquaria;* S. Iago de l' Estero, Cividad de la Trinitad, in *Tucumannia;* La Paz, seu Chuquiaca, et Santa Crux de la Sierra, seu de Baranca, in *Peruuia.*

3. *Metropoles:* L' Assumption, Guayra, Villa Ricca.

§. IV.

Quod, ad *naturalem* Paraquariae *statum*, adtinet.

1. Regio, cis et trans *Tropicum Capricorni*, longe lateque propagata, in qua *calor referuescit*, vber habet solum.

2. Fert, pro coeli indole, in *vegetabilibus*, frumentum, vitim, cannam, sacharum, gossypium, et, paraguay atque coparibas, herbam peculiarem, e quarum vltima, balsamus virtutis mirificae solet exprimi; in *animalibus*, varia pecoris armenta, boues equos, asinos, mulos, leones, tigrides, ceruos, vrsos, aues siluestres; in *mineralibus*, aurum, argentum, cuprum, cet.

3. Incolunt Oram Litoralem, vicinamque regionem, *Hispani*; interiora, indigenae *Paraquarii*, per vastam solitudinem, absque oppidis et villis, diuisi.

§. V.

Quoad *ciuilem* regionis *statum:*

1. Prouinciam, iuris Hispanici, in Praefecturas VI. distinctam, Gubernator, auctoritate Proregis Americae Meridionalis, administrat. *Indigenae*, qui seruitutem Hispanorum subterfugiunt, iure viuunt suo.

2. Religionem *Christianorum Romano-Catholicam*, Archiepiscopus, cum Episcopis tribus, summo animi ardore propagat. Faciebant id in primis Iesuitae, qui sibi vastum imperium, in regione hac, comparauerant. *Pagani*, quorum, inter indigenas complures sunt, malum genium diuino adorant cultu.

3. Lit-

3. Litterarum, parem, cum religione, curam habent, Europaei in varia diuisi collegia.

SECTIO XI.

DE

TVCVMANNIA.

§. I.

TVCVMANNIA, a Paraquaria, ad regionem Chili, inter regnum Peru et Terram Magellanicam, extenditur.

§. II.

Redacta in PROVINCIAM HISPANICAM, sequentia habet oppida:

1. Bernhardo de la Frontera, *Bernhardi Castrum*, munitio est limitanea, in tractu septentrionali.

2. S. Miguel, *Fanum S. Michaelis*, vrbs eximia, inferius.

3. S. Iago de l' Estero, *Fanum S. Iacobi de Storea*, metropolis, et Gubernatoris atque Episcopi sedes.

4. Nostra Sennora de *Talavera*, oppidum mediocre, quod lanificio sustentatur.

5. Cividad de la Trinitad, *Ciuitas Trinitatis*, episcopo celebris, et *Cordova*, *Corduba noua*, oppidum haud ignobile.

§. III.

Praecipuae, in *Tucumannia* vrbes, sequentes sunt, scilicet:

1. *Episcopales:* S. Iago de l' Estero, Cividad de la Trinitad.

2. *Metropolis:* S. Iago de l' Estero, sedes Gubernatoris.

§. IV.

Quod, ad *naturalem* regionis *statum*, adtinet.

1. Re-

1. Regio *campestris*, a Tropico Capricorni, in australem reducta, propter *fertilitatem*, et *benignam* aëris *clementiam*, commendatur.

2. Profert ea, in *vegetabilibus*, frumentum, vinum, gramen, gossypium, cochenillam; in *animantibus*, pecus, oues inprimis, apes, mel, ceram; in *fossilibus*, sal, aliaque.

3. Incolae *barbari*, sedes mutant, *Nomadum* more, alioquin rei pecuariae studiosi, laborioseque.

§. V.

Quoad *ciuilem* regionis *statum*:

1. Prouincia, iuris Hispanici, cui Gubernator praeest, regimini Proregis *Peruuiani*, subiecta est.

2. Religionis, atque fanorum, nulla inter barbaros vestigia. Hispani, ritu *Christiano*, eoque *Romano-Catholico*, Deum colunt, cui, duo in Prouincia Episcopi, moderantur.

SECTIO XII.

DE

REGIONE CHILI.

§. I.

CHILI REGIO, accepto, seu a flumine *Chille*, seu a frigoris vi maxima, cognomine, inde a Peruuia, vsque ad Terram Magellanicam, inter Tucumanniam et mare Pacificum, in occidentali excurrit latere.

§. II.

Montium altissimi, *Andes* dicti, et, ex Peruuia, in regionem Chili propagati, vsque ad Oceanum exeunt.

§. III.

Distinguitur Regio, in latum protensa, in PRAEFECTVRAS III.

I. CHILI PRAEFECTVRA, litoralis, infra Peruuiam, quibusdam ornata est oppidis:

1. Guasco, ad *Guasco* amnem, situm oppidum, fodinas aeris cyprii habet, frequentaturque a nautis aquae caussa.

2. Coquimbo de la Serena, *La Serena*, vrbs, cum portu capaci, ferri prouentu diues.

3. Quillota, apud *Chille* amnem, oppidum mediocre.

4. Valparayſſo, *Valparaiſſa*, oppidum, cum portu et castro.

5. S. Iago, *Fanum S. Iacobi*, metropolis, ad regulas architectonicas, in planitie situs incundi, constructa, Gubernatorem, Episcopum, atque Tribunal Inquisitionis, hospitio excipit.

II. IMPERIAL PRAEFECTVRA, in extremum immissa meridiem, Terra Magellanica terminatur. Eius sunt:

1. La Conception, Ciuitas conceptionis, episcopalis, portu et castro confirmata, in agro fructifero.

2. Imperial, *Imperialis*, oppidum munitum, a quo Praefecturae nomen mutuatum est.

3. Baldivia, *Valdiuia*, munimentum validum, portu et propugnaculis communitum, clauis maris Pacifici dicitur.

4. Osorno, et, *Villa Ricca*, oppida venusta, furore tamen barbarorum desolata, ad dextram.

5. Angol de los Infantes, *Angol*, in ruinis.

6. Chillan, *Chillania*, oppidum mediocre.

III.

III. CHICVITO PRAEFECTVRA, latus orientale, iuxta Tucumanniam obſidet. In eius agro iacent:

1. Mendoza, et, *S. Ivan de la Fronteira*, oppida duo, eaque in finibus Barbarorum, limitanea.

2. Diamante, *Diamanta*, munitio, barbaris obiecta.

3. Volcan, *Vulcauus*, mons, inter Antum iuga, igni-vomus.

IV. INSVLAE quinque, in mari Pacifico, orae litorali obiacent, quarum nomina ſunt:

1. Ambroſii, et *S. Felicis*, inſulae duae, infra Tropicum Capricorni.

2. Yas de Ivan Fernando, *Inſula*, piratarum, quos *Flibuſtieres* vocant, receptaculum eſt.

3. S. Maria, et, *La Mocha*, nauigantibus in Aſiam, opportunae ſunt, propter bonitatem aquae.

4. Chiloe, cum *Caſtro*, munitione, maxime auſtralis eſt.

§. IV.

Adiungitur, *vrbium* praecipuarum, in *Chili* regione, tabula.

1. *Epiſcopatus*, qui ARCHIEPISCOPO ARGENTENSI ſuffragantur, duo ſunt: S. Iago, La Conception.

2. *Metropoles*: S. Iago, ſedes Gubernatoris.

3. *Portus*: Coquimbo de la Serena, Valparayſſo, La Conception, Baldivia.

§. V.

Quod, ad *naturalem* Prouinciae Chili *ſtatum*, adtinet.

1. Regio, infra Tropicum Capricorni, in qua amoena coeli temperies, vber quidem, ad incultum, habet ſolum.

2. Res, quas natura dat, in *vegetabilibus*, ſunt, frumen-

mentum, cannabis, herba nicotiana, cyclaminus, seu rapum terrae, fraga; in *animantibus*, pecus, caprae, oues insitatae magnitudinis, asini; in *mineralibus*, ramenta auri terrae immixta rubeae, quae lauatione ab ea separantur, adamantes, turcesii, lapis Lazuli, magnes, talcum.

3. Incolunt oram litoralem, *Hispani;* interiora, *Indigenae*, iique feri ac inculti, rei agrariae tamen studiosi. Vitam hi tolerant, grano indico, malis erraticis, et carne equina asininaque. Feminae, admodum longis vberibus praeditae, rus, viris vt plurimum somno deditis, colunt, pro quo tamen saepe pessimam referunt mercedem, quippe quae saepe a maritis polygamis, vel in exsilium mittuntur, vel plane morte, si caussa praegnantior fuerit, mulctantur.

§. VI.

Quoad *ciuilem* regionis *statum:*

1. Prouincia, iuris *Hispanici*, in *Praefecturas* III. diuisa, *Gubernatoris* prouidentia regitur.

2. Barbari, in varias sciſſi *Nationes*, alii in *statu* viuunt *libero*, et, ab omni regulorum potestate, exemto, alii suos habent principes.

3. Religionem *Christianam*, iuxta ritum Romano-Catholicum, Episcopi duo fouent. *Paganam*, indigenae, detestando mali genii, quem Eponamann vocant, cultu, conseruant.

4. Litteris humanioribus, in collegiis et gymnasiis Europaeorum, iuuentus studet.

SECTIO XIII.

DE

TERRA MAGELLANICA.

§. I.

TERRA MAGELLANICA, a *Ferdinando Magellano*, classis Hispanicae praefecto, qui eam, anno 1519. detexerat, denominata, et, a Tucumannia regnoque Chili, in austrum porrecta, fretum huius nominis adtingit.

§. II.

Substringitur, ex triplici latere, Oceano, et quidem.

1. Oceano *Aethiopico*, seu *Meridionali*, in *ortu*;
2. Freto *Magellanico*, centum milliaria longo, duo triaue lato, per quod *Ferdinandus Magellanus*, anno 1519. primum nauigauerat, postea *Th. Candish*, Anglus, anno 1581. in *meridie*;
3. Mari *Pacifico*, Del *Zur*, in *occasu*.

§. III.

Pertinent, ad Terram Magellanicam, perpauca oppida:

1. Capo de S. Andres, *Promontorium S. Andreae*, ad sinum cognominem, supra, in Costa, seu latere *deserto*, Oceano Aethiopico obiacet, ad *ortum*.
2. Port de Lions, *Port de los Leones*, portus, nauigiis tamen vacuus.
3. Bay de S. Iulian, *Sinus S. Iuliani*, infra, in eodem pelago Aethiopico.
4. Nombre de Iesus, *Nomen Iesu*, praeter cognomen pretiosum, nil memorandi continet.

5. Capo de 11000. Virgines, *Promontorium XI. mille Virginum*, ad fretum Magellanicum, in *meridie* consedit.

6. Ciudad del Rey Philippe, *Ciuitas Regis Philippi*, oppidum omnium primum, anno 1582. a Diego de Valdez, qui terram hanc Hispanis subiecerat, constructum.

7. Capo de la Vittoria, *Promontorium Victoriae*, mare Pacificum, in *occasu*, respicit.

§. IV.

Praecipua regionis loca sunt:

1. *Metropolis*: Ciudad del Rey Philippe.

2. *Portus*: Port de los Leones.

§. V.

Quod, ad *naturalem* Prouinciae *statum*, adtinet.

1. Regio, in qua *temperatissimum* anni tempus, propter *subulum* album, idque praealtum, ac terrae pauxillae permixtum, infoecunda est.

2. Ager sterilis, et omni prorsus gramine arboreque nudatus, suppeditat incolis, ex *vegetabilibus*, radices herbasque paucas; ex *animantibus*, feras, tigrides, vulpes, cuniculos, struthiones, pisces.

3. Incolae, *Patagones* cognominati, staturae mediocris, iique feri et bardi, radicum esu vitam sustentant.

§. VI.

Quoad *ciuilem* regionis *statum*:

1. Prouincia *Hispanica*, ab *Hispanis*, anno 1582. *occupata*, ab iisdem tamen, propter agri sterilitatem, *deserta*, iuris sui est hodie.

2. Indigenae, in *diuersas* distincti *Tribus*, absque *magistratu* ac *religione*, viuere dicuntur.

3. Co-

3. Colunt nihilominus, *malum genium*, exemplo vicinarum nationum, cultu impio.

SECTIO XIV.

DE

INSVLIS AMERICAE.

§. I.

INSVLAE, circum Americae litora, quae, partim in *Atlantico*, seu orientali, partim *Pacifico*, seu occidentali Oceano, dispersae sunt, non tam a pelagi denominatione, quam, a plagarum mundi positu, ORIENTALES aliae; aliae OCCIDENTALES, dici poterunt.

§. II.

ORIENTALES INSVLAE, *Oceano Atlantico*, inter septentrionem ac Aequatorem, circumdatae, in CANADENSES, ANTILLAS MINORES, atque MAIORES, diuiduntur.

§. III.

CANADENSES, in Oceano Atlantico supero, CLASSIBVS III. comprehenduntur.

I. AZORES, TERCERES, ACCIPITRVM, seu FLANDRICAE INSVLAE IX., medio, inter *Africam* et *Americam*, mari concluduntur.

1. Las Flores, *Insula Florum*, in qua, tres coloniae, in *septentrionibus*, reperiuntur.

2. S. Iorge, *S. Georgii*, insula, tenuis.

3. Gratiosa, *Insula*, admodum foecunda.

4. Tercera, *Tercera*, insularum maxima, in qua; *Angra*, metropolis, portu et castello munita, Episcopo et Gubernatori, sedem praebet.

5. S. Mighel, *S. Michaelis* insula magna, et bene culta.

6. S. Maria, *S. Maria*, insula exilis.

7. Pico, *Insula*, olim, monte ignifluo, iam demerso, nota.

8. Coruo, *Insula*, cum portu capaci.

9. Fayal, *Insula*, in eaque, *S. Crux*, oppidum.

II CANADAE, seu, NOVAE FRANCIAE, INSVLAE VI. in mari cognomine, *Canadae* obiiciuntur.

1. Le Grande Branche, *Die Groote Banck*, *Syrtis Magna*, eaque, Gallorum, Anglorum et Hollandorum piscationi, percommoda.

2. Terre Neuf, *Terra Noua*, cum *Plaisance*, Placentia; et *Port S. Iean*, Portu S. Ioannis, ad Anglorum pertinet ditionem, qui hic castores inprimis, et salpas captare solent.

3. Anticosti, *Assumptionis Insulae*, cum *Port aux Ours*, oppido, iuris Anglici, ad ostia fluminis S. Laurentii.

4. S. Iean, *S. Ioannis Insula*, ditionis pariter Anglicae, in australi sinus S. Laurentii ora.

5. Cap de Breton, *Britonum Caput*, insula piscatu ditissima, cum *Louisbourg*, Ludouicopoli, vrbe permunita, et portu magno instructa, *S. Pierre* castro, et *S. Anne*, portu capacissimo, iurisdictionis adaeque Anglorum, inter sinum et Oceanum.

6. Isle de Sable, *Insula* situs inferioris, in Oceano, Anglorum Acadiae adcensetur.

III. BERMVDES, a *Io. Bermude*, Anglo, AESTIVAE, ob aeris clementiam, a nautis, propter eminentes in mari scopulos, *Insulae Daemonum* adpellatae, margaritis, cedris, serico, herba nicotiana, testudinibusque inusitatae magnitudinis, diuites, et, anno 1612. occupatae ab Anglis, complures numerantur. Quarum praecipuae sunt:

1. S.

1. S. George, et *S. Dauid*, insulae duae, fertilitatis eximiae.

2. Warwick, *Sommerset*, *Irland*, insulae tres, in quibus, sicut et in aliis, nulla animantia venenata, reperiuntur.

§. IV.

ANTILIAE, id est, continenti Americae, in sinu Mexicano obiectae, duplicis sunt ordinis. ANTILLAE MINORES, per orientalem sinus Mexicani oram propagatae, a *septentrione*, in *meridiem*; et illic, ab *ortu*, in *occasum*, tripatito exeunt.

I. LVCAYAE, LVCAIAE INSVLAE, amplius centum, supra Tropicum, freto *Bahama*, a regione Floridae dirimuntur: ex iisque, nonnisi XX. incoluntur ab Hispanis.

1. Bahama, *Insula*, freto *Bahamae*, per quod, naues Hispanicae, thesauros, in Europam deuehunt, obiecta.

2. Lucaianoque, *Lucaianoque*, insula praecipua, nomen reliquis mutuata est.

3. S. Salvator, *Insula*, olim, *Guanahani*, cognominata, omnium prima, anno 1492. a *Christophoro Columbo*, detecta est, tum plane, dum comites ei vitae insidias pararent.

4. Bemini, *Insula*, mirae foecunditatis est.

5. Ymeta, seu, *Isabella*, nomen, ab Isabella Regina Hispaniae, accepit.

6. Prouidentia, seu, *S. Catharinae Insula*, Infra Iamaicam, in eadem, cum Caribum Insulis, plaga est.

II. CARIBES BARLO VENTO, *Caribes*, seu, *Caribanes*, *Infra Ventum*, ab *ortu*, ad *occasum*, protenduntur.

1. Tortue, *Tortua*, in qua, *La Basse Terre*, colonia Gallicana, iuris Francici, supra Dominicam Insulam.

2. S. Thomae, *Insula*, cum S. Thoma Africae insula, haud confundenda, in potestate Danorum.

3. S. Croix, *S. Crucis Insula*, minus salubris.

4. S. Eustachii, *Insula*, in Batauorum potestate.

5. Anguilla, *Anguilla*, Anglorum, minus fertilis.

6. S. Martin, et *S. Bartholomaei*, insulae duae, Gallis parent.

7. S. Christofle, *S. Christophori Insula*, accepto a Christophoro Columbo, cognomine, in Anglorum iam anno 1714. pace Vltraiectina, peruenit potestatem.

8. Barbados, *Barbada*, Anglorum, cum *Bridge-Town*, vrbe, portu et tribus castellis communita.

9. Antigoa, Insula antiqua, adaeque, in potestate Anglorum.

10. Mouserrat, Insula *Montis Serrati*, eiusdem iurisdictionis Anglicanae.

11. Newis, *Niewes*, *Insula Niuium*, fertilis, ad Anglos pertinens.

12. Guadeloupe, *Insula Guadelopia*, cum *Guadeloupe* metropoli, et, *Fort Royal*, munitione, Anglis itidem obsequitur.

13. Maria Galante, *Maria Pulchra*, in Anglorum iuribus.

14. Domingo, *Dominique*, *Dominica*, a Caribanibus inhabitatur; ab Anglis frequentatur, negotiationis caussa.

15. Martinique, *insula Martinica*, cum *S. Pierre Fort Royal*, et *la Trinite* castris, Galli possident.

16. Barboude, *Barbuda*, ad ditionem Anglorum spectat.

17. S. Lucia, seu *Alouisia*, in dominatione Anglicana.

18. S. Vincent, *S. Vincentii*, insula, Anglorum iuribus adscripta, a barbaris inhabitatur.

19.

19. Granada, *Granada*, cum ceteris, quas enumerauimus, Parisiensi Gallorum Societati subest.

III. CARIBES SOTTO VENTO, *Caribes*, *Australes*, *intra Ventum*, inter Hispanos, Anglos, Hollandos, Gallos, atque Danos diuisae, et, a Caribibus incolis vocatae, ab *ortu*, in *occasum* propagantur, isto ordine.

1. Tabago, *Tabaco*, insula, a Curlandis, anno 1658. detecta, postea vero Anglis concessa.

2. La Trinidad, *Trinitatis Insula*, anno 1498. a Christophoro Columbo inuenta, Hispanis, cum metropoli *S. Iosephi* obsequitur, longa 30, lata 15. milliaria.

3. Margareta, *Margarethae Insula*, iuris Hispanici, anno 1495. Christophori Columbi industria, inuenta est.

4. Blanca, *Rocca*, et *Orchilla*, insulae tenues, in possessione Hispanorum.

5. Tortue, *Tortuga*, salis dines, ad Anglos spectat.

6. Aues, et *Bon Ayres*, insulae exiles, Batauis parent.

7. Curascao, *Curassau*, Hispanis, anno 1632. armis Batauorum erepta, Hollandorum habet colonias.

8. Oruba, *Oroba*, insula, iurisdictionis Hollandorum.

9. Prouidentia, seu, *S. Catharinae Insula*, anno 1667. inuenta, paullo post vero, a piratis erepta, sed Hispanorum atque Gallorum viribus, anno 1703. recuperata, ad dextram, in Lucaiensium numero est.

§. V.

ANTILLAE MAIORES, intus, in sinu Mexicano, IV. occurrunt.

I. CVRA, Insularum in sinu *Mexicano* longissima, et anno 1492. ab Hispanis occupata, istis colitur oppidis:

1. Havana, *S. Christoval de Havana*, vrbs primaria, castro confirmata, et dignitate episcopali sedeque Gubernatoris

natoris ornata, portum habet, omnium in America capaciſſimum, aditu perangustum. Anno 1662. ab Anglis expugnata, sed mox Hiſpanis reddita fuit.

2. Porto del Principe, *Portus Principis*, isque eximius.

3. S. Iago, *S. Iago de Cuba*, vrbs episcopalis, portu et caſtello munita.

4. S. Cruz, *S. Crux*, oppidum, portu clarum.

5. Spirito, seu l' Eſprit Santo, et *La Trinidad*, atque *S. Salvador*, Hiſpanorum sunt coloniae.

II. IAMAICA, seu *Sangaio*, in auſtrum inclinans, anno 1494. *Hiſpanis* a Chriſtophoro Columbo quaesita; at anno 1655. *Anglis* adserta, in XIV. *Paroecias* dividitur. Vbi:

1. Sevilla d' Ore, *Seuilla Aurea*, quondam metropolis, nunc vicus, at, portu ornatus.

2. Melilla, *Melilla*, portus, in cuius tractu, Chriſtophorus Columbus, indigenas, praedicta Lunae eclipſi, sub obsequium redegit, naufragium paſſus.

3. Port S. Anna; et *Port S. Antoine*, in ora aquilonari.

4. Capo Moranto, et *Port Royal*, portus duo, in ortu.

5. S. Iago de la *Vega*, metropolis frequentis coloniae, et sedes Gubernatoris, anno 1692. terrae motu adflicta.

6. Oriſtan, *Oriſtania*, oppidum tenue, cum portu.

III. HISPANIOLA, seu, S. DOMINGO, longa 90. milliaria, lata 30. anno 1492. a *Chriſtophoro Columbo* detecta, *Hiſpaniaeque* adtributa, anno 1666. inter *Hiſpanos* et *Gallos*, ex aequo diuidebatur. Ad ditionem *Hiſpanorum*, in tractu *Orientali*, spectant:

1. Iſabella, vrbs in *Cubabo* tractu, multum adflicta.

2. S. Iago de los *Cavalleros*, vrbs fabulo auri nota.

3. La Conception de la *Vega*, episcopatus, in tractu Caiabo.

4. Xo-

4. Xoana, *Soana*, regionis Quacayatimae praecipua.

5. S. Domingo, *S. Dominici Fanum*, ciuitas maritima cum portu, eaque copiosa, atque munita, in qua, cum Archiepiscopo, Gubernatori, et Collegio regiminis, tum academiae, ac rei monetariae, hospitium datum est.

6. Le Grand Gouave, castrum, et *Le Petit Gouave*, portus, coloniae Francicae, ad *Occidentalem* Gallorum ditionem pertinent.

7. La Grande Ance, et *La Petite Ance*, Gallorum colonia.

IV. PORTO RICCO, Insula Portus Diuitis, longa 20. milliarium, lata 10. anno 1493. in potestatem *Hispanorum* redacta est. Vbi,

1. S. Iuan de Porto Ricco, *Fanum S. Ioannis de Porto Ricco*, metropolis, et Gubernatoris, ac Episcopi sedes.

2. Guadianilla, *Guadianilla*, munitio parua.

§. VI.

Occidentales Insvlae, in Mari Pacifico dispersae, quoniam nondum ex omni parte detectae sunt: locum, inter *Terras Incognitas*, occupant. Duplicis eae sunt nominis:

1. Insulae *Salamonis*, conglomeratae, numero septem.

2. Insulae *Dispersae*, minores, tres et viginti.

§. VII.

Adiicitur, *vrbium* praecipuarum, in *Americae Insulis*, tabula.

1. *Archiepiscopalis* vna: S. Domingo, in Hispaniola.

2. *Episcopatus* VI., duobus Archiepiscopis suffragantur. Scilicet: Olyssiponensi, Agrensis, in Tercera *Azorum* insula; 2. S. Domingo, La Conception de la Vega,

Vega, Havana, S. Iago de Cuba, S. Iuan de Porto Ricco, in *insulis;* Honduras, in *Noua Hispania;* Venezuela, in *Terra Firma.*

3. *Academia* vna est, in vrbe S. Dominici.

4. *Metropoles:* Tercera, in Azoribus, *Portugallorum;* Havana, in Cuba, *Hispanorum;* S. Iago de la Vega, in Iamaica, *Anglorum;* S. Domingo, in Hispaniola, *Hispanorum.*

5. *Portus;* Corvo, Port S. Iean, Louisburg, Port aux Ours, Bridge-Town, Havana, Port de Principe, S. Iago, S. Cruz, Sevilla d' Oro, Melilla, Port S. Anna, Port S. Antoine, Moranto, Royal, Oristana, La Petit Gouave, S. Domingo.

§. VIII.

Quod, ad *naturalem* Insularum Americae *statum*, adtinet.

1. Regio, Insularum Americae, varium, pro diuersitate climatum, cum coeli, tum soli habet positum. In illis etenim, quae, supra Tropicum Cancri iacent, *temperatissimum* est anni tempus: in aliis contra, quae ad Aequatorem inclinant, *calores* aestuum *ingentes.*

2. Abundat; itaque, Insularum ager, iisdem, quibus Americae continens, rebus, scilicet, in *vegetabilibus*, frumento, canna, sacharo, ligno campeche, ficubus, radice mandioca, cinnamo, cassia, mastiche, aloe, zingibere, aromatibus, cochenilla, sassaparilla, gummi, gossypio, herba nicotiana; in *animantibus*, pecore, ouibus, feris, psittacis, cicindelis, quas Coucoujou vocant, atque Cabillaux piscibus; in *fossilibus*, auro, argento, cupro, cinnabari, vnionibus, sale, indico, coloribus.

3. Priscis Insularum *incolis*, partem maiorem, bello Hispanico *deletis*, Hispani, Portugalli, Angli, Galli, Belgae atque Dani, ex *Europaeis;* Nigri, aliaeque nationes, ex *Africanis*, pro mancipiis venditi, succes-

cessè-

cesserunt. Quibus Caribanes *indigenae*, iique feri ac inculti, passim permiscentur.

§. IX.

Quoad *ciuilem* Insularum *statum* adtinet:

1. Redactae, in Prouincias Europaeorum, Insulae Americae, pro regiminis diuersitate, in VI. distinguuntur Classes. *Iuris Portugallici* sunt: Insulae Azores, *Hispanici*, S. Domingo pars orientalis, Cubo, Porto Ricco, Lucaiae, La Trinidad, Margareta, Blanca, Rocea, Orchilla, Cuacoa, Prouidentia; *Britannici*, Iamaica, La Grande Banche, Terre Neuf, Bermudes, Auguilla, S. Christofle, Barbados, Antigoa, Monserrat, Newis, Domingo, Barboude, S. Vincent, Tabago, Tortue, S. Iean, Cap de Breton, Guadeloupe, Maria Galante, S. Lucia, Granada; *Francisi*, S. Domingo pars occidentalis, Le Grande Banche, Anticosti, S. Croix, S. Martin, S. Bartholomaei, Martinique, *Batauici*, Le Grand Branche, S. Eustachii, Aves Bonair, Oroba; *Danici*, S. Thomae.

2. Administrantur eae, a Gubernatoribus et Collegiis regiminis, Regum atque populi, quibus subsunt, auctoritate, inter quos, *Hispanicus* atque *Gallicus*, in insula S. Dominicae; *Anglorum* in Iamaica, primi sunt.

3. Religio Christiana, suppresso paganismo, passim in Insulis floret; et quidem *Romano-Catholica*, quam cum Archiepiscopo vno, Episcopi quinque regunt, in Portugallicis, Hispanicis, atque Gallicis; *Reformata*, in Anglicis atque Batauis; *Euangelica*, in Danicis, aliorumque prouinciis. *Pagana*, partim Caribanum, partim Afrorum superstitione pertinace, multis in locis fouetur.

4. Litteris melioribus, quas academia *S. Dominici* propagat, quoddam, quamuis admodum leue, statutum est in Insulis pretium.

CA-

CAPVT IV.

DE

TERRIS INCOGNITIS,

SECTIO I.

DE

TERRIS INCOGNITIS BOREALIBVS.

§. I.

TERRAE INCOGNITAE, illae adpellantur regiones, quae versus *vtrumque polum* protrusae, vel nonnisi ex *longinquo* sunt *conspectae*; vel in *extrema* tantum *ora*, quodammodo *lustratae*.

§. II.

Diuiduntur, pro situs ratione, *bipartito*.

I. BOREALES TERRAE INCOGNITAE, per aquilonarem orbis terrarum regionem, propagantur.

II. AVSTRALES TERRAE INCOGNITAE, in meridionali telluris ora, latent.

§. III.

BOREALES TERRAE INCOGNITAE, quae, supra Asiam, Europam, atque Americam, conspectae sunt, IX. numerantur.

I. NOVA ZEMBLA, *Novaja Semla*, *Noua Terra*, anno 1596. a *Iacobo Heemskerken* Batauo, transitum per oceanum borealem in Iaponiam quaerente, detecta, freto Nassouio, seu Vajgatz, a Russia seiungitur. Vbi:

1. Ca-

1. Capo Mauritii, et *Capo de Nort*, promontoria duo.

2. Orange, *Neu Holland*, *Staaten Eyland*, *S. Mauritii*, *S. Annae* insulae, a Batauis cognominatae, vrsorum, vulpium albarum, non hominum domicilia.

II. SPITZBERGA, *Montes Acuti*, ex aduerso Lapponiae, ad octoagesimum latitudinis gradum remota, et anno 1596. ab eodem *Iacobo Heemskerken* Batauo inuenta, nomen a praeacutis montium verticibus accepit, vrsis albis, et balaenarum hippopotamorumque captura celebris.

1. Langenes, et *Ronge Klippe*, promontoria sunt duo.

2. Bay Moritz, *Sinus Mauritii*, inde sequitur.

III. GRÖNLANDIA, *Viridis Terra*, a colore denominata, et anno 982. a *Torwaldo*, atque *Ericho* Norvegis occupata, postea vero, anno 1389. perdita, iterumque, anno 1605. detecta, vicina est Americae, ad quam, in Iunio Iulioque, quotannis aliquot millia balaenarum, quarum nonnullae 300. pedes longae sunt, capiuntur, infixo corpori telo hamato. Cuius,

1. Grönlandia Noua, seu *Osterborg*, pars est orientalis, supra Europam; in qua,

2. Farwel, *Faruel*, promontorium, omnibus nationibus cognitum.

3. Erischshafen, et, *Beareströrd*, a Danis frequentatur.

4. Martin Voorbissers Straat, *Fretum Voorbisser*, ab Anglis est detectum.

5. Moritzbay, et, *Brielshaven*, Batauos excipiunt.

6. Grönlandia Vetus, seu *Westerborg*, pars est occidentalis, versus Americam prolata.

IV. IAMES ISLES, *Iacobi Insulae*, seu *Isles de Iaques*, Davis et Hudsonis freto, nec non sinu Baffinis, continentur, ab Ioan. Davis, Anglo, anno 1586. detectae. Vbi, obseruatur:

Cumberland, *Cumberlandia*, insula, et *Schmidt Bay*, fretum.

V. ESTOTILAND, seu, *Terra Laborador*, *Cortereal*, *Pays des Esquimaux*, *Noua Britannia*, inter Fretum Hudsonis et Canadam, iuris Britannici.

Fredo Hudson, *Fretum Hudsonis*, nomen accepit ab *Henrico Hudson* Anglo, qui terram hanc, anno 1612. detexit.

VI. NEV WALLES, *Noua Vallia*, trans sinum Hudsonis, in ditione Britannica, in Regiones II. diuiditur.

1. Sud Walles, *Australis Vallia*, ab occidentali sinus litore, in austrum recedit, fluuio *Bourbon*, diffecta.

2. Nord Walles, *Borealis Vallia*, supra sinum, circulo Arctico secatur.

VII. NEV DANEMARCK, *Noua Dania*, maxime borealis, vltra Circulum Polarem, in ditione Britannica, ab Ioan. Münchio, Praefecto classis Danicae an. 1609. primum adita. Vbi,

Bay Baffin, olim, *Mare Christianum*, primum quidem, a Christiano IV. Rege Daniae; postea, a Wilhelmo Baffin, Anglo, denominationem traxit

VIII. TERRA IEDSO, *Yesso*, *Esonis Terra Occidentalis*, vltra fretum Anian, proxima ad Americam.

Eius litus australe, *Ioannes de Gama*, ex China, in Nouam Hispaniam nauigans, detexit;

IX. TERRA IEDSO, *Yesso*, *Esonis Terra Orientalis*, in ortu, proxima ad Asiam et Iaponiam, quam nonnulli continentem Iaponiae perhibent. In qua,

1. Patientia, *Patientiæ*, promontorium, in extremo septentrione.

2. Campanie Land, *Societatis Regio*, freto Vriez, a reliquo continente diremta, in *ortu*.

3. Staat

3. Staat Eyland, *Statuum Regio*, Vriez et Pidecko, freto duplici, concluditur.

4. Capo di S. Antonio, *Promontorium S. Antonii*, nautis cognitum.

5. Matemay, *Matzuma*, metropolis, in qua, Gubernator Iaponum ſedet.

§. IV.

Quod, ad *phyſicam* telluris *conſiderationem*, adtinet.

1. Regio Terrarum Incognitarum *Septentrionalis*, in qua perpetuae hiemes ſedent, et intolerabilis rigor, *ſterilis* eſt atque *horrida*. In cuius ora, vltra *Circulum polarem* retruſa: *dies* ſolares, per menſes creſcunt; ſub ipſo vero *ſiderum cardine*, ſol, non quotidie, vt nobis, ſed primum, *verno aequinoctio* exortus, *autumnali* demum occidit: et ideo, *ſex menſibus* dies, et *totidem aliis*, nox vſque continua eſt.

2. Alit, quamuis minus foecunda, ex *vegetabilibus*, gramen, moſchum, lignum caeduum; ex *animantibus*, vrſos, rangiferos, alces, vulpes, piſces, cetos, canes et catos marinos, xiphias, cornu vel gladio inſtructas, (Germanice Schwerdtfiſche) hoſtes balaenarum; in terra vero Eſonis, pecus, vrſos, alces ac ceruos, pariter atque, ex *mineralibus*, argentum, cuprum, ferrum.

3. Incolae, Terrae Eſonis, *ſtatura* quidem parua, at grandi *capite*, vultuque deiecto, et praeterea, ſima nare praediti, *pygmaeorum* et *capitonum* ſimiles eſſe perhibentur. Habitant ſiluas, in iisque, *antra* et *domicilia* ſubterranea. Viuunt ii, ex *venatione* ac *piſcatione*, alioquin, per naturam *tardi* triſtesque.

§. V.

Quoad *iurisdictionem*, in Terris Incognitis Borealibus:

1. Ius *prouinciale*, ſibi vendicant, in Nouam quidem

Zemblam et Spitzbergam, *Russi*; in Grönlandiam, *Dani* et *Angli*; in Iames Isles, Estotiland, Neu Walles, Neu Dänemarck, Terram Esonis occidentalem, *Angli*; in Terram Esonis orientalem, *Iapones*.

2. Indigenae, *animantium* amicti *pellibus*, viuunt ad *praescriptum naturae*, absque *magistratibus*, et litterarum morumque cultura.

3. Colunt nihilominus, *numen* aliquod, et quidem, qui terram incolunt Esonis, sub *solis*, *lunae* atque *siderum*, quae supra se considerant, imaginibus.

SECTIO II.

DE

TERRIS INCOGNITIS AVSTRALIBVS.

§. I.

TERRAE INCOGNITAE AVSTRALES, infra *Asiam*, *Africam* et *Americam*, latentes, vsque in mare *Pacificum*, sequente exeunt ordine:

I. NOVA GVINEA, seu, *Terre dos Papos*, infra *Aequatorem*, insulis Moluccensibus, in *ortu* adsita, et anno 1627. ab *Aluaro Sauedra* inuenta, iuris sui est. Nec enim quispiam in sterili solo, genti barbarae, DEI, magistratus, et bonorum ignarae morum, imperare sategit vnquam.

1. Punta Salida, *Promontorium falsum*, nautis cognitum.

2. Aquada, *Portus*, isque eximius.

II. NOVA BRITANNIA, *insula*, anno 1700. per *Wilhelmum Dampierum* detecta, magis in *ortum* recedit. In qua, haec potissimum occurrunt,

George, *Oxfort*, *Anne*, *Glocester*, promontoria.

III.

III. CARPENTARIA cum Terris vicinis, inde, in *auſtrum* remouetur. In hoc tractu ſunt:

1. Carpentaria, a *Carpentiero* Hollando, denominata.

2. Terre de S. Eſprit, *Terra S. Spiritus*, iuxta eſt.

3. Terre de Quiros, quam, *Petrus Ferdinandus de Quiros*, Hiſpanus, anno 160 . oſtendit, haud longe inde diſſita.

IV. NOVA HOLLANDIA, ab Hollandis, anno 1646. inuenta, quam homines feri incolunt. *Circulo polari Antarctico* ſubiacet. Vbi:

1. Land Arnheim, et, *Bay van Dieme*, in ora aquilonari.

2. Vittland, et, *Terra Concordiae*, in *occaſu*.

3. Lewin, ſeu *Revier*, et *Nuyts* Terrae, in meridie.

V. DIEMEN, *Diemensland*, maxime *auſtralis*, anno 1642. ab Antonio Diemen reperta eſt.

Fridrich Henrichs Hafen, *Portus*, in hac terra notus.

VI. TERRA CIRCVMCISIONIS, *de la Circonciſion*, anno 1739. detecta, cum *Terra vitae*, auſtrali Africae orae ſubeſt.

VII. LA MAIRE, *Inſula*, infra Americam, anno 1615. a *Iacobo le Maire* Batauo mercatore, inuenta eſt. Vbi:

Detroit de Maire, *Fretum Mairaeum*, obſeruatur.

VIII. TERRA DEL FUOGO, *Terra ignis*, anno 1520. a Ferdinando Magellano, conſpecta eſt, et ab igniuomo monte ſic denominata. In qua,

Fretum *Magellanicum*, quod Terram Ignis, a continente Americae dirimit, nomen a *Ferdinando Magellano* accepit.

IX. NOVA ZELANDIA, anno 1642. ab Hollandis primum cognita, nil nisi agrum sterilem habet, nigrosque incolas.

X. INSVLAE SALAMONIS, inde, prope ad *Aequatorem*, in mari Pacifico adsurgunt. Eae vero sunt:

1. Isabelle, ac *Iesus*, in septentrione.

2. De Malaita, et *S. Christophel*, in ortu.

3. S. Paul, et *Guadalcanal*, in meridie.

4. Marchionis, seu *Mendoza*, in occasu.

XI INSVLAE, in mari Pacifico, DISPERSAE, a Tropico Cancri, ad Tropicum Capricorni, propagantur,

1. Inter Tropicum Cancri et Aequatorem: *De los Monges*, ex aduerso Californiae, *Solitaria*, *S. Pierre*, *Desolata*, *D' Alonso d' Arellaios*, ad laeuam.

2. Inter Aequatorem, et Tropicum Capricorni: *S. Crucis* cum portu *Gratiosa*, *Belle Nation*, *Cocos Eyland*, *Verräthers* seu *Proditoris Eyland*, ad laeuam, *Princ Wilhelm Eyland*, *Middelburg*, *Negrettes*, *Amsterdam*, *Roterdam*, ad dextram; *Sonder Grund*, *Fliegen Eyland*, *Waterland*, *Solitaria*, *S. Bernhard*, *Honden Eyland*, vltra; et inde, *S. Pierre*, *Eyland von Gode Hoop*, *Horns Eyland*, *Isle de Pasques*.

§. II.

Quod, ad *naturalem* telluris *considerationem*, adtinet.

1. Terrae Incognitae australes, quamuis, sub *temperata torridaque* Zona, enatae sint: *agrum* tamen habent *infoecundum*; et propterea, Europaeis nationibus minus vtilem.

2. Res, quibus tellus sterilis gaudet, nobis quidem cognitae, sunt: *gramen*, lignum caeduum, ferae, aues siluestres, pisces.

3. In-

3. Incolae *siluestres*, iique *nudi*, ac *miselli*; in regione vero pertorrida, *ore nigri*, vel *fusci*, victum, ex *venatione* et *piscatione*, quaerunt, rerum coelestium rudes.

§. III.

Quoad *iurisdictionem*, in Terris Incognitis australibus:

1. Regiones, propter telluris *infoecunditatem*, a *nullis* Europaeorum *nationibus* occupantur. Viuunt, in iis, *indigenae*, iure suo, absque magistratibus.

2. Religionis, sicuti nautae obseruant, *nulla*, saltim *leuissima*, apud homines feros, cura est.

ADDITAMENTVM.

SECTIO I.

DE

PALAESTINA,

Seu,

TERRA SANCTA.

§. I.

PALAESTINA, accepta a *Palaestinis*, seu *Philistaeis*, denominatione, antiquo quidem tempore, TERRA CANAAN, TERRA PROMISSIONIS, TERRA ISRAEL, atque IVDAEA; postea vero TERRA SANCTA, et REGIO HEBRAEORVM, cognominabatur, longa 60. lata plus minus 30. milliaria, par situ Belgio.

§. II.

Immissa, in *occidentalem* Asiae oram, incingebatur; in *septentrionibus*, Syria; in *ortu*, Mesopotamia atque Assyria; in *meridie*, Arabia Petraea; in eaque, Moabitarum, Amalecitarum, Gabalenitarum, et Idumaeorum,

regionibus; in *occasu*, partim agro Palaestinorum, partim mari Mediterraneo.

§. III.

Regio *maritima*, extus, in latere occidentali, pelago; intus, partim lacubus, partim fluuiis, subluitur.

1. Mare *Mediterraneum Magnum*, seu, *Syriacum*, et *Philistaeum*, occidentale regionis latus substringit.

2. Lacus *Phiala*, ex quo Iordanus fluuius emanat, et, *Samochonitis*, seu, *Aqua Maron*, ab Iordano formatus, per oram septentrionalem diffunduntur.

3. Lacus *Genneſar*, seu, Mare *Kinnereth*, *Genneſareth*, Mare *Galilaeum*, Mare *Tiberiados*, Iordanem transmittit, loco inferiore, latus vnius, longus 3. mill. piscosus.

4. Lacus *Asphaltites*, qui et, *Mare Salsum*, *Mare Mortuum*, in agro Sodomae atque Gomorrae, austrum versus, natus, Iordanem alueo suo excipit. Fundum habet pice, sale, et sulphure refertum. Atque hinc, quae de eo narrantur, facile explicari poterunt; sicut: aquas eius marinis multo salsiores, amaras, maleque olentes, longeque grauiores, quam vt humanum corpus infra superficiem admittant, pestiferis exhalationibus grauidas, piscibus, volucribus, frugibusque noxias.

§. IV.

Fluuii, et amnes maiores, in Palaestina, tres sunt:

1. Iordanes, *Iordanus*, ex lacu *Phiala* ortus, per reliquos Palaestinae lacus, diffectis aquis, transit, et in Asphaltitem mergitur, supra mare Galilaeum, *Parvus*, infra, *Magnus Iordanes* dictus.

2. Arnon, *Fluuius*, Palaestinam, a Nabataeis et Moabitis Arabiae, seiungit.

3. Cedron, *Kidron Torrens*, agrum Hierosolymitanum, adluit.

§. V.

§. V.

Montes complures, in *Palaestina*, prominent.

1. Exus, in limite Syriae, ad aquilonem, *Libanus*, *Antilibanus*, *Hermon*, seu *Panius*, cedris vmbrosi; ad ortum, *Gilead*, seu *Galaad*, cum *Basan*, et *Arnon* iugis, coniunctus; ad austrum, *Abarim*, cum iugis *Nebo* et *Pisga*; item et Arabiae disterminatores; occasum versus, *Carmelus*, plurimis antris, et subiectis vallibus laetis memorandus, in ora maritima.

2. Intus, *Thabor*, formae conicae, cacumine plano iucundus, et *Hermon*, in Zebulonis; *Gilboa*, in Manasse; *Ephraim* et *Garizim*, in Ephraimi; *Montes Iudae*, *Oliuarum* scil. atque omnium in Palaestina, altissimus, Christi tentatione celebris, *Quarantania*; et *Ephron*, in Iudaeae; *Nebo*, et *Peor*, in Rubenis agro.

§. VI.

Diuidebatur PALAESTINA, pro conuersione rerum, quadrifariam:

I. IN CANANAEORVM POPVLOS VII. ante Ebraeorum aduentum. Scilicet:

1. CHIVAEI, *Chiuaei*, in Hermonis atque Libani montanis.

2. PERIZZAEI, *Perizaei*, inter Bethel et Sichem.

3. CANANAEI, *Cananis filii*, ad lacum Asphaltitidem, per ripam Iordanis extendebantur.

4. IEBVSAI, *Iebusi* posteri, in Iudaeae montanis, vbi postea Hierosolyma.

5. GIRGASCHAEI, *Girgaschi* filii, cis Iordanem, inter Iebusaeos et Cananaeos.

6. EMORAEI, *Emori* nepotes, inter Iordanem, et Arnon amnem.

7. CHITTAEI, *Chethi* posteri, apud Hebronem, in montanis, et Arabiae finibus.

II. IN IVDAEORVM TRIBVS XII, sub Ebraeis. Ex quibus,

1. CIS IORDANEM IX et dimidia, isto iacebant ordine: Ascher, Nephtali, Zebulon, Issachar, Manasse dimidia, Ephraim, Dan, Beniamin, Iuda, Simon.

2. TRANS IORDANEM II et dimidia, Manasse dimidia, Gad, Ruben.

III. IN REGNA II. post obitum Salamonis.

1. REGNVM IVDA, duas *Iudae* ac *Beniamin* tribus, complectebatur.

2. REGNVM ISRAEL, quod et, *Ephraim*, atque *Samariae*, reliquis decem tribubus absoluebatur.

IV. IN REGIONES IV. post Aristobuli Regis tempora, etsi eam Romani in Palaestinam *Primam*, *Secundam* et *Tertiam*, seu *salutarem* diuiserant.

1. GALILAEA, ad fines Syriae, in SVPERIOREM, quae et *Galilaea Gentium*, et INFERIOREM, diuisa.

2. SAMARIA, *Samaritis*, in medio regionis, cis Iordanem.

3. IVDAEA, in tractu australi, vsque ad Arabiam extensa.

4. PERAEA, in *Batanaeam*, *Trachonitidem*, et *Ituraeam* diuisa, trans Iordanem, cuius pars superior, ad lacum Samochonitem, GAVLONITIS; inferior, ad lacum Tiberiadis, GAMALATICA, dicebatur.

V. PALAESTINAM HODIE TVRCAE in IX. partiuntur DISTRICTVS, quorum haec sunt nomina: *El Kods*, Hierosolymitanus, *El Khalil*, Hebronius, *Gazza*, Gazanus, *Nabolos*, Neapolitanus seu Sichemitanus, *Areta*, Aretanus, ad mare Carmelumque, *Saphet*, Saphatanus, in Galiliaea, *Bela Scikip* et *Hauran*, veterum Trachonitis et Ituraea, *Beni Kemane*, pars Peraeae, *As Schorat* cum *Al Balkaa*, Transiordanus.

§. VII.

§. VII.

GALILAEA, a Syriae collimitio, vsque ad Iudaeam, inter mare Mediterraneum, et Samariam prorogata, diuisaque in REGIONES II. TRIBVS IV. ambitu suo complectebatur. Scilicet, in superiore, quae et GALILAEA GENTIVM, *Ascher* atque *Nephtali*; in inferiore, circa lacum Genezareth, *Zebulon* et *Issachar*.

I. ASCHER, ASSER, TRIBVS, in *Galilaea Superior*, a finibus Syriae, vsque ad Tribum Zebulon, in mediterraneis, exit. In eius ditione sunt:

1. Cana Maior, *Kana*, ab altera Cana Galilaea, probe distinguenda, in *septentrionibus*.

2. Helkath, seu, *Hukok*, ciuitas Leuitarum, limitanea.

3. Rehob, a *Beth-Rehob* Syriae, distinguenda, vrbs ad ditionem Leuitarum pertinens.

4. Gaba, *Gabala*, ciuitas equestris, in quam, Herodes, emeritos equestris militiae, colonos duxit.

5. Aphec, *Aphec*, quondam regia, hodie rudus inane, in Sidoniorum finibus, alia est ab *Apheka* Iudaeae.

6. Miseal, *Masal*, *Mesal*, vrbs Leuitarum.

7. Meroh, *Mero*, oppidum mediocre, inde est.

8. Achsaph, *Acsaph*, quondam regia.

9 Acco, *Ake*, *Ptolemais*, *Acra*, vrbs portu, sede Praefecti Turcici, et Consulis Anglici, memoranda, mercatuque.

10. Chabul, *Cabul*, vrbs, a qua, regio circumiecta, nomen accepit.

11. Achzib, *Chezib*, seu *Ecdippa*, Phoeniciae adscripta est.

12. Betheen, *Beten*, oppidum erat structurae mediocris.

13.

13. Haifa, *Chaipha*, *Caiphas*, *Hifa*, *Porphyreon*, *Sicaminon*, emporium insigne, nunc vicus exilis.

II. NAPHTHALI, NEPHTHALI TRIBVS, in *Galilaea superiore*, a Libano monte, vsque ad lacum Genezareth, secundo Iordane fluuio, propagatur. In cuius agro fuerant:

1. Dan, postea, *Dan Iean* dicta, munitio, monti Libano, in ora superiore subiecta, cultui vituli, a Ieroboamo dicata fuerat.

2. Caesarea Philippi, quae et, *Paneas*, *Neronia*, in eodem cum Dan tractu, nomen a Philippo Tetrarcha, qui eam, honori Tiberii Caesaris velificaturus, multum auxerat, ornaueratque, accepit. Hodie vicus ignobilis.

3. Riblat, *Riblata*, iuxta os lacus Samachonitis, in *ortu*.

4. Hazor, *Hasoreth Gentium*, antiquitus regia, postea, vrbibus Naphtalim adnumerata.

5. Iamnith, *Iemna*, atque *Seph*, munitae fuisse perhibentur, hodieque vici exiles.

6. Cinnareth, *Cinareth*, in aquilonari lacus Genezareth litore, prope ad Capernaum.

7. Chorazin, *Chorazim*, inter Capernaum et Bethsaida, ad eundem lacum Genezareth.

8. Hamath, *Hamothdor*, *Hammon*, ab aquis calidis denominata, ad Leuitas pertinebat, *occasum* versus.

9. Kedes, *Cedes Nephtalim*, primum regia, postes vrbs Leuitarum libera, perfugio destinata.

10. Thisbe, Eliae vatis patria, Tobiae domicilium.

11. Rakath, *Carriata*, *Kiriathaim*, iuris Leuitici.

III. ZEBVLON TRIBVS, *in Galilaea Inferiore*, inter Phoeniciam, et lacum Genezareth, Galilaeae Superiori subest. In qua haec numeraueris oppida:

1. Ze-

1. Zebulon, *Zabulon*, oppidum, in extrema, versus mare Mediterraneum, ora.

2. Iakneam, *Iacneam*, olim regum Canaan, postea Levitarum, sedes.

3. Cana Galilaea, *Cana Minor*, Simonis Apostoli patria, transmutatione aquae in vinum, a Christo nobilitata. Olim oppidum, hodie vicus ignobilis, qui ab Nazaretho vno distat milliari.

4. Bethsaid, *Bethsaida*, in occidentali lacus Genezareth latere posita. Olim vrbs, hodie rudus.

5. Capernaum, *Capharnaum*, in aquilonari lacus Genezareth latere sita, et multis Seruatoris mundi miraculis cognita; nunc *Telhum* rudera dicunt.

6. Tarichaea, *Tarrichaea*, in occidentalem lacus oram remota, fors portu quondam incluta.

7. Githa Hepher, seu, *Gath Hepher*, vrbs regia, et Ionae vatis natalitia.

8. Iotapata, in *Githa Hepher* agro constructa, aetate sequente, munitio valida, Ios. Flauii fatis cognita.

9. Genesareth, in ora lacus, cui nomen concessit, infra.

10. Tiberias, *Taberya*, olim, *Rakkath*, vrbs monti imposita, et ab Herode Tetrarcha, in Tiberii honorem ornata, academiae postmodum Iudaicae, propter Mischnam celebris, domicilium, cognomen lacui, cui adsidet, mutuata est.

11. Emmaus, seu, *Ghammath Tiberiadis*, thermae fuerant, in eadem lacus ripa, *Husseinia* Arabibus.

12. Betelehem, seu, *Betulia*, in medium regionis retrusa.

13. Chisloth Thabor, seu, *Cartha*, *Cetron*, vrbs Leuitica, monti *Thabor*, subsita.

14. Simron, *Semeron*, *Meron*, sedes fuit quondam regia.

15. Sepphoris, *Diocaesaria*, munimentum erat validum.

IV. ISASCHAR TRIBVS, in *Galilaea Inferiore*, tribui Zebulon, in tractu inferiore subiacet.

1. Carmelus, *Carmeli* iugis, in occidentali ora, eaque maritima subiacet, ordine Carmelitarum vrbs nota.

2. Kison, *Kedes*, oppidum Leuiticum, ad amnem cognominem.

3. Nain, oppidum quondam elegans, nunc vicus ignobilis, in quo Seruator mundi adolescentem resuscitauit.

4. Nazareth, *Nazaretha*, Seruatoris mundi educatione illustrata, prope ad montem Thabor, in collimitio Zebulon, hodie, si PP. Franciscanorum coenobium demseris, vicus infrequens.

5. Endor, *Endora*, oppidum monti Thabor subsitum, spectro Endoreo, quod Sauli adparuit, memorandum.

6. Arbela, *Arbeel*, Baesae Regis gentilitia.

7. Ramoth, seu, *Ierimoth*, inde, deflectit in *meridiem*.

8. Sunem, *Sunema*, in qua, Elisaeus vates, filium viduae Sunamitidis in vitam reuocauit.

9. Iesreel, *Iesrael*, vrbs olim praestans, in qua Iesabel regina, a canibus dilaniata est, hodie rudus.

10. Aphec, *Aphek*, magis in mediterranea, iuxta amnem Kison, ad castellum *Saba* deflectit.

§. VIII.

SAMARIA, SAMARITIS REGIO, in medio Palaestinae, pelago atque Iordane, inter Galilaeam et Iudaeam, concluſa, tribui *Ephraim* et *Dimidiae Manasſe*, habitaculum praebuit.

I. MANASSE TRIBVS DIMIDIA, cis Iordanem, multis ornata vrbibus, iacuit. In qua memorabantur:

1. Caesarea Palaestinae, antea *Turris Stratonis* dicta, ab Hero-

Herode, in Augusti honorem, industria 12. annorum exculta, portuque eximio aucta, caput erat postmodum Iudaeae, et sedes Praesidis; hodie vix aliquot tuguria piscatoribus praebet.

2. Dor, *Dora*, in tractu *Naphotdor*, ad mare sedebat.

3. Thaenach, et *Aner*, vrbes duae, haud longe inter se dissitae: quarum illa, Leuitis, haec, Sacerdotibus fuerat adscripta.

4. Gath *Rimon*, oppidum, Leuitarum domicilio destinatum.

5. Ieblaam, *Iibleam*, *Bilham*, vrbs, in Sacerdotum possessione, versus Megiddo conuersa, iacuit.

6. Besec, *Bethseca*, quondam regum Canaan sede ornata.

7. Bethsan, *Bethsean*, *Schytopolis*, prope ad Iordanem.

8. Thapuah, *En Tapuach*, in Ephraimitarum collimitio sita.

9. Thirza, *Therza*, Regum Israelis sedes prima.

10. Bethulia, in tractu *Dothan*, Iudithae victoria nobilitata, *Saphet* adpellatur hodie, Gymnasio Iudaeorum celebri, et Libri *Sochor* editione famosa.

11. Mageddo, *Megiddo*, vrbs, trans *Montem Prophetarum*, remota, et per diuersa Iudaeorum bella cognita.

12. Hadad Rimon, seu, *Har Mageddon*, postea *Maximianopolis* dicta, prope ad Mageddonem iacuit.

13. Endor Manasse, diuersum est ab *Endor Isaschar*, sub monte Thabor.

14. Antipatris, antea, *Caphar Salama*, vel *Caphar Zaba*, Iudae Maccabaei victoria illustrata, postea ab *Herode*, in honorem patris ornata, in litore sedit. Hodie Ali Ben Aalam vocatur, peregrinatione Mahomedanorum sacra frequens.

15. Gamala, a *Plinio* additur, alia tamen a Gamala, in Peraea, vrbe munita.

II.

II. EPHRAIM TRIBVS, inferiorem Samariae oram occupauit, cum vrbibus, quarum nomina sunt:

1. Beth-Horon, *Bethoron*, vrbs olim munita, in superiorem atque inferiorem diuisa, in limitibus Manassis, rudus hodie.

2. Bethel, a *Bethel* Iudaeae aliud. Illud namque, Ieroboami idololatriae dicatum; illud, Patriarchae sede inclutum.

3. Sichem, *Sikima*, *Sychar*, metropolis et perfugium facta, postea vero, ex incrementis, *Neapolis* vocata, *Napluſa*, seu *Nabolos* hodie vocatur, vrbs Districtus primaria.

4. Garizim, mons oliuis vitibusque laetus, in quo, templum a Sanballath exstructum, proximus est vrbi. *Ebul*, praeceps, et ob solis ardorem sterilis ex adversum iacet.

6. Phaselus, *Phaſelis*, Herodis opus, honori et memoriae fratris aedificatum, in *occaſu*.

7. Zardan, *Zereda*, *Zeredatha*, in ripa Iordanis, vbi, aquae, dum Israelitae transibant, stare coeperunt.

8. Siloh, prope ad *Bethel* sita, in qua, arca foederis diuini, vsque ad mortem Sacerdotis Eli, conquieuerat.

9. Machmas, *Michmas*, in finibus Beniaminitarum.

10. Gazer, vrbs Leuitarum, quondam Girsitarum regia.

11. Ramath, *Ramathaim*, *Ramathaim Zophim*, vrbs, Sacerdotum adcensa iuribus.

12. Lidda, *Diospolis*, prope ad Ioppen vrbem sedet.

13. Apollonia, inter *Ioppen* et *Antipatrida*, in ora maritima sita est.

§. IX.

IVDAEA, a montibus Ephraim, ad Aegypti et Arabiae deserta, inter *mare Philiſtaeum*, et lacum *Aſphaltitidem*,

dem, quem *mare Mortuum* vocant, porrecta, TRIBVS IV. continet.

I. BENIAMIN TRIBVS, montibus Ephraim subsita, fluvio Iordane terminatur. Pertinent ad eius ditionem:

1. Mizpa, *Mizpath*, munitio erat quondam occidentalis, in Samariae finibus.

2. Gibeon, *Gibea*, vrbs Sacerdotum domiciliis clara, ad dextram, cum *Maron*, vico suburbano.

3. Rama, *Arimathia*, hodie *Samuele*, vicus, et *Baal Hazor*, ad dextram.

4. Gibea, *Gibeath*, Saulis sedes regia, cum *Bethel* et *Luz*.

5. Hai, Ai, *Aiath*, a Iosua, deuicto Rege subuersa, iterumque instaurata, cuius pomoeria, *Bethaven*, seu *Asmaveth*, *Aven*, nonnullis dicuntur.

6. Gaba, *Geba*, vrbs sacerdotalis olim, et munitio.

7. Zemarim, *Zemaraim*, a Zemari Canaanis filio, condita est.

8. Gilgal, *Galgala*, apud quam, ingressi in Palaestinam Israelitae, castra posuerant.

9. Iericho, *Hierichus*, vrbs veteri aeuo praestans, cum palmeto et balsami paradiso, hodie pagus ignobilis.

10. Beth-*Hagla*, ad limitem tribus Iudae, diuergit.

11. Ophra, *Opra*, tractus, Simsonis vulpeculis notus.

12. Anathot, *Anathoth*, vrbs, Sacerdotum habitationi destinata, et Ieremiae vatis patria

13. No, *Nobe*, *Nebo*, Sacerdotum iuribus aeque adserta ciuitas.

14. Ierusalem, *Hierosolyma*, vrbium orientis clarissima, templo et arce Sionis splendida, postea vero, a Chaldaeis atque Romanis euersa, sed ab Aelio Adriano,

ſub *Aeliae Capitolinae* nomine, inſtaurata. Minor tamen hodierna ciuitas eſt vetere. Clauſtra ſunt complura Chriſtianorum. In monte Morijah ſanum poſitum eſt Mahomedanum.

15. Emmahus, *Emaus*, vicus tenuis, haud procul ab vrbe Solymorum, in quo Chriſtus, duobus Diſcipulis, poſt reſurrectionem adparuit.

16. Beroth, *Beeroth*, vna, ex tribus Gibeonitarum ciuitatibus.

17. Amoſa, *Moſa*, in occaſum reducta, eadem, cum *Emmahus*, fuiſſe cenſetur.

II. DAN TRIBVS, a mari, ad agrum Simeon prolata, in ortu, Ephraim, Beniamin, atque Iuda tribubus; in occaſu, regione Philiſtaeorum, concluditur.

1. Ioppe, *Iapho*, *Iafa*, vrbs maritima, portu quondam, et Andromedae fabula inſignis, extrema in *ſeptentrione*, hodieque vicus.

2. Lud, *Loddo*, *Lydda*, *Dioſpopolis*, *ortum* verſus. Apud Turcos opinio manet, Antichriſtum, hoc loco, ab Ieſu, Mariae filio, interfectum iri.

3. Gibethon, *Gabath*, ciuitas Leuitarum, in eadem plaga.

4. Modin, *Madon*, vrbs, quondam regia, poſtea, ſepulcris Maccabaeorum nobilitata.

5. Aialon, *Leuitarum* adaeque poſſeſſio, in *meridie*.

6. Eſthäol, ad amnem *Sorek*, ſepulcro Simſonis memoranda.

7. Irſames, ſeu, *Harcheres*, poſtmodum *Amaus*, atque *Nicopolis* adpellata, ad laeuam.

8. Zarea, *Sarea*, Simſonis patria, poſtea munita.

9. Timnath, *Thimnatha*, in cuius montibus, Simſon leonem diſcerpſit, haud procul ab agro Philiſtaeorum.

10.

10. Bethar, *Bethear*, *Bitter*, Pseudo Messiae Ben Cozbae munimentum, a Romanis solo aequatum, in *occasu*.

11. Gath, *Gath-Rimon*, vrbs Leuitarum, agro Philistaeorum, adcensetur.

12. Caspin, *Casphin*, vrbs turribus communita.

13. Iamnia, *Iabne*, *Iasne*, vrbs olim percelebris, portu ornata, hodie exilis vicus.

III. SIMEON TRIBVS, Dan, Iuda, Philistaeorum agro, circumcluſa, perpauca habebat oppida.

1. Ziklag, *Zieklag*, ciuitas, in medio tribus Simeon, agro Iudae adscribitur.

2. Horma, *Chorma*, quondam, *Zephath*, cognominata, eidem agro Iudae adcensetur.

3. Rin, seu *Asan*, Sacerdotum domiciliis incluta.

4. Rimon, *En-Rimon*, nomen a malis punicis mutuata est.

5. Beersaba, *Bersabe*, *Basiothia*, austrum versus extrema, ex cuius ruderibus, Christiani, aeuo medio, *Cybelin* seu *Gallin* munitionem construxerant.

IV. IVDA TRIBVS, australem Iudaeae partem insedit; a lacu Asphaltitide, vsque ad mare Magnum, prorogata, et clarissimis ornata vrbibus.

1. Hebron, quondam, *Kiriath-Arba* vocata, eaque vrbium prima ac munita, primum quidem gygantum, postea, Sacerdotum habitatione et homicidarum perfugio incluta, sedes erat Dauidis Regis temporaria, in *medio*. Hodieque par ferme est Hierosolymis magnitudine, mercatu celebris.

2. Mamre, lucus cum *Machpela*, spelunca, in agro Hebronis, habitatione atque sepulcro Abrahami, cognita sunt. Lapides quadrati, longi 3. orgyas, lati vnam et crassi, aedis, hoc loco, iussu Constantini M. positae, magnificentiam ostendunt.

3. Debir, quondam, *Kiriath-Sanna*, *Kiriath-Sepher*, cognominata, bibliotheca et tabulario Cananaeitarum, illuſtris fuit, ad laeuam.

4. Iathir, *Iether*, vrbs, Sacerdotibus adſcripta, ad laeuam.

5. Etham, *Ethama*, munitio, in Simeonis limite, ſupra, ad *occaſum*.

6. Mareſa, prope ad *Zephata* vallem, Micheae vatis patria.

7. Achſib, *Cheſib*, *Cheſeba*, vrbs antiqua.

8. Eglon, *Eglona*, quondam, Regum Canaan ſedes regia.

9. Aſeka, *Azeka*, muro incincta, ad laeuam.

10. Iarmuth, *Iarmouth*, vrbs colli eleuato impoſita.

11. Socho, ab *Hebero* conſtructa, et, Dauidis cum Palaeſtino pugna ſingulari, nota.

12. Odallam, *Adullam*, vrbs, ab Rehabemo communita.

13. Geder, *Gederah*, *Giderothaim*, *Beth-Geder*, vrbs regia, in eodem tractu.

14. Lebna, *Libna*, vrbs olim regia, iuribus Sacerdotum adſerta, noſtro tempore oppidum vile.

15. Eleutheropolis, *Ciuitas libera*, in campo *Zephela*, poſtmodum, ſub Chriſtianis, epiſcopatu nobilitata.

16. Makeda, *Maceda*, vrbs regia, in cuius agro, quinque Cananaeorum reguli, capti ſunt a Ioſua, in Dan et Beniamin collimitio.

17. Kiriath Iearim, *Kiriath-Baal*, *Kiriath-Baalah*, vrbs quondam Gibeonitarum, in ora *aquilonari*.

18. Bethſemes, *Ciuitas Solis*, eaque Sacerdotalis, in eodem tractu.

19. Bethlehem, *Ephrata* vocata, vrbs parua, Dauidis tamen, atque Meſſiae, natiuitate illuſtrata; nunc vicus, amplus tamen et populoſus. Incolae faciundis coronis

ronis calculorum precatoriorum, rebusque similibus, victum quaerunt.

20. Lachis, ciuitas regia, et *Rama*, Saulis inauguratione clara, in vicinia Bethlehemis.

21. Bethzur, *Bethsur*, munitio valida, in Beniaminitarum collimitio.

22. Betharaba, et *Ir-Hammelach*, ciuitas salis, a qua mare salsum nomen accepit, *ortum* versus prospectant.

23. Sodoma, *Adama*, *Gomorrha*, *Seboim*, et *Zoar*, in regione Pentapolitana, loco amoeno, bituminoso tamen sitae, mari Salso absorptae sunt, *Zoar* sola, quae limes erat maris Mortui, superstite.

24. Masada, super *Hachilam* collem, a Ionathane atque Herode constructum castrum.

25. Hazezon Thamar, seu, *Engeddi*, castrum, in occidentali maris Salsi litore.

26. Siph, *Ziph*, a quo desertum huius nominis.

27. Iuta, *Ioeta*, vrbs sacerdotalis, ad laeuam.

28. Carmel, *Nabalis* domicilio cognita, infra.

29. Maon, cum *Netopha*, seu *Sela-Mahelkoth*, id est, Petra Diuisionis, in deserto Maon.

30. Sin, seu, *Iudaeae Desertum*, per *australem* regionis tractum, extenditur.

31. Holon, seu, *Chilen*, vrbs sacerdotalis, in Edomaeorum finibus.

32. Gilo, et *Gosen*, ciuitates montanae; et illa quidem, Achitophelis patria; haec, pascuis laeta.

33. Eder, *Arad*, quondam Amoritarum regia, postea, agro Iudaeorum adserta.

34. Kerioth-Hezron, oppidum, a quo, *Iudas Isch-Karioth*, cognomen accepit, in *occasu*.

35. Addar, *Ador*, *Adoraim*, munitio, Idumaeae obiecta.

36. Karkaa, et *Azmon*, oppida duo, in eadem plaga.

37. Anthedon, post *Agrippias* dicta, in ora maritima.

38. Raphia, et *Beth-Thapuah*, inde sequuntur.

39. Rhinocolura, *Sibor* amnis ostio adpositа, extrema est, in Aegypti finibus.

§. X.

PERAEA, transiordana Israelis Regio, primum quidem, MANASSE, GAD, atque RVBEN TRIBVBVS, in possessionem cessit: postea, sub Romanis, in PERAEAM PROPRIAM, TRACHONITIDEM, et ITVRAEAM, seu AVRANITIDEM, divisa fuit.

I. MANASSE TRIBVS DIMIDIA, *Hermon*, seu Sanir, et *Galaad* montibus, in septentrione ac ortu, circumsepta, et Galileae e regione oppositа, in *Batanea*, seu, *Basan*, regione foecunda, sedem elegit.

1. Zora, *Gessur*, et *Karkor*, in tractu *aquilonari*, monti Hermon subiacent.

2. Nobah, seu, *Knath*, vrbs cum 60. vicis, in *ortu*.

3. Astharoth, *Astharoth-Karnaim*, seu *Carnion*, Og Regis, sedes fuit regia.

4. Beestra, *Barasa*, *Bostra*, *Basan*, vrbs, iuris Leuitici, in agro Havran, seu Auranitide, primaria.

5. Edrei, *Edrai*, *Adrach*, clade Og Regis memoranda.

6. Gaulon, *Golan*, ciuitas Leuitarum, et perfugii, a qua, regio *Gaulonitis*, denominatur.

7. Pella, monti *Gilead* subsitum oppidum, ad *austrum*, perfugium erat Christianorum, sub obsidione Hierosolymitana, anno 66.

8. Abela Vinearum, in *Basan* agro fructifero, asina Bileami memorabile oppidum.

9. Miz-

9. Mizpe, *Maspha*, in regione *Gilead*, sede Iephte nobilis.

10. Iabes, *Iabes-Gilead*, ad laeuam, in eodem tractu.

11. Gadara, prope ad lacum *Genesareth*, colli imposita.

12. Hippos, *Susitha* cognominata, in orientali lacus litore.

13. Gergesa, *Geraesa*, in Gadaraeorum collimitio, Girgositarum colonia fuit, in *occasum* retracta.

14. Magdala, *Migdol*, castrum, in regione *Dalmanutha*, Mariae Magdalenae gentilitium.

15. Gamala, *Tarichaeae*, opposita, ciuitas montana.

16. Iulias, in *Bethsaidae* fundamentis, in honorem Iuliae vxoris Tiberii, a Philippo Tetrarcha, condita fuisse perhibetur.

17. Havoth-Iair, seu, *Argob*, tractus est, in regione Basan, cum 60. oppidis.

18. Seleucia, a *Seleuco* Rege Syriae, ad lacum Samochonitidem condita, postea vero communita.

19. Decapolis, *Decem Ciuitatum*, hoc tractu, a nonnullis quaeritur.

II. GAD TRIBVS, in *Ithuraea*, quae, et *Auranitis*, inter montem Arnon, Iordanemque fluuium, iacebat. Vbi:

1. Pnuel, *Pniel*, luctа Iacobi memorandum oppidum.

2. Mahanaim, ad *Iaboc* amnem, vrbs erat Leuitarum, in cuius agro, castra Dei visa sunt a Iacobo.

3. Ramath Gilead, *Ramath-Mitzpe*, ciuitas Leuitarum, perfugio homicidarum destinata.

4. Roglim, *Rogelim*, intus est, *orienti* obiectum.

5. Arnon, *Monti Arnon* subsitus locus, magis in *ortu*.

6. Iaeser, *Iaser*, ciuitas Leuitarum, lacui adsita.

7. Tobh Tractus, cum *Tubin* oppido, in mediterranea recedit.

8. Aroër, ad *Arnon* amnem, in *auſtrum* deflectit.

9. Tharetha, *Tharah*, ad tractum Tobh pertinebat.

10. Debir, idem, quod *Lodabar*, oppidum, ad laeuam.

11. Beth-Haram, *Betharampta*, in honorem matris Tiberii, *Liuiae*, ab Herode cognominata, in *occaſu*.

12. Beth Nimra, *Nemrim*, proxima ad Iordanem.

13. Sucoth, *Socoth*, in eadem Iordanis ora.

III. RVBEN TRIBVS, *Peraeam Propriam*, in regione auſtrali, occupauit. Ad eius haereditatem pertinebant.

1. Sibma, *Sebam*, ciuitas, vini prouentu nobilis, in Gaditarum collimitio, ad *aquilonem*.

2. Dibon, *Dimon*, ciuitas magna atque munita, ſupra.

3. Iahza, *Iaſſa*, ciuitas Leuitarum, in eodem limite.

4. Hesbon, *Heſebon*, *Casbon*, Esbuta Ptolemaeo, primum quidem Amoritarum regia, poſtea Rubenitarum ciuitas prima, eaque Leuitis adſcripta, hodie vrbecula.

5. Bezer, *Beſor*, perfugium Rubenitarum, in *ortu*.

6. Kademoth, *Cedemoth*, aliis, *Pethſon*, oppidis Leuitarum adſertum eſt.

7. Medba, *Madaba*, *Magdaba*, vrbs finitima, ſitus iucundi, in ora *meridionali*.

8. Kirioth, *Kiriathaim*, *Cariathaim*, quondam ſedes gygantum memoranda.

9. Laſa, aliis, *Callirhoe*, prope ad mare Mortuum.

10. Machaerus, *Caſtrum*, in orientali maris Mortui litore, in quo Ioannes Baptiſta decollatus eſt.

11. Beth-*Ieſimoth*, ciuitas, intus in mediterraneis.

12. Bethabara, *Bethabera*, ad traiectum Iordanis, quem Israëlitae sicco pede superauerant, et in quo Ioannes baptizabat, posita fuit.

§. XI.

REGIONES FINITIMAE, quae, connexionem, cum *Palaestina* habebant, sequentes sunt:

I. REGIONES AQVILONARES, et quidem,

1. Regio *Phoeniciae*, *Syro Phoenicia*, *Phe-Anak*, in eaque, vrbes praecipuae: Sidon, Sarepta, Tyrus, Meara, Berythus, Biblus, Tripolis, Simyra, Aradus, Orthosia, Ptolemais.

2. Regio *Syriae*, trans *Libanum*, in eaque: Damascus, Hazar-Enon, Hethlon, Zedad, Berotha, Thadmor Tipsah, Beth-Rehob, Gesur, vrbes illustres.

II. REGIONES ORIENTALES, in iisque,

1. Regio *Mesopotamiae*, *Aram Naharaiim*, dicta, cuius vrbes: Edessa, Haran, Canne, Carchemis, Pethor, Rezeph, Thel-Asar, Sepharad, Singara, Ur Casdim, Hena, Iwa.

2. Regio *Assyriae*, in qua, vrbes illustres: Ninive, Calah, Ressen, Rechoboth-Ir, Carthara, Acad.

3. Regio *Babyloniae*, seu, *Chaldaea*, vel *Sinear*, cum vrbibus: Babylon, Erech, Chalne, Orchoe, Seleucia.

4. Persia, seu, *Elam*, et *India*, cum Heyila, Ophir, atque Seba, regionibus.

III. REGIONES MERIDIONALES, in Arabia, scilicet:

1. Regio *Ammonitarum*, cum *Basanis* agro coniuncta, in qua: Rabbath, Aroer, Minnith, vrbes.

2. Regio *Moabitarum*, cuius, Ar, Kir, Madmen, En-Eglaim, Diblath, Mathana, Mizpe, Bazra, Zoar, vrbes eximiae.

3. Regio *Midianitarum*, in qua, Midian metropolis.

4. Regio *Nabathea*, cuius, Sela, Gur-Baal, vrbes.

5. Regio *Idumaea*, *Edom*, ad quam ſpectabant: Bozra, Theman, Zalmona, Phunon, Oboth, Zair, Arabath, Dedan, Dinhaba, Masrek, Awith, Pagu, Kades, Elath.

6. Regio *Amalekitarum*, in qua, Hevila, Hazeroth, Rithma, Kades-Barnea, vrbes.

7. Deſerta *Arabiae*: Ethan, Sur, Sin, Sinai, Paran, Zin, cum Horeb et Sinai montibus.

IV. REGIONES OCCIDENTALES, et quidem,

1. Regio *Aegypti*, *Mizraim*, in qua: Memphis Moph, Tanais Zoan, On, Tachpanhes, Sin, Sur, vrbes, et Goſen ſeu Ramſes tractus.

2. Regio *Philiſtaeorum*, in ora maritima, cuius vrbes inſignes: Gath, Beth-Car, Acaron, ſeu Eckron, Gadara; Azoth, Aſcalon, hodie vici ignobiles, Gerar, Gaza, cum Maiuma portu, qui poſtea Conſtantia adpellatus erat.

§. XII.

Exponitur, *vrbium* praeſtantiorum, in *Palaeſtina*, tabula.

1. *Metropoles*, atque *Regiae*: Hieroſolyma, et olim, *Sichem* atque *Gibea*, in regno Iudae; *Samaria* et *Thirza*, in regno Iſrael; *Caeſarea Philippi*, ſub Romanis.

2. *Cultui Numinis deſtinatae Vrbes*: *Hieroſolyma*, et olim, *Siloh*, apud Iudaeos; *Dan* et *Bethel*, apud Iſraelitas; *Garizim* mons, apud Samaritanos.

3. *Sacerdotum Vrbes XIII.*: et quidem, in *Tribu Iuda* atque *Simeon*, Hebron, Libna, Iathir, Eſtmoah, Holon, Debir, Ain, Iuta, Bethſemes; in *Tribu Beniamin*, Gibeon, Geba, Anathoth, Almon.

4. *Le-*

4. *Leuitarum Vrbes XXXV.*: et quidem, in *Tribu Aſcher*, Miſeal, Abdon, Helkath, Rehob; in *Tribu Nephtalim*, Kedes, Hamoth-Dor, Karthan; in *Tribu Zebulon*, Iakneam, Kartha, Dimna, Nahalal; in *Tribu Iſaſchar*, Kiſion, Dabrath, Iarmuth, Engannim; in *Tribu Manaſſe, cis Iordanem*, Thaenach, Gath-Rimon; *trans Iordanem*, Golan, Beeſtra; in *Tribu Ephraim*, Sechem, Geſer, Kibzaim, Bethoron; in *Tribu Dan*, Eltheke, Gibethon, Aialon, Gath-Rimon; in *Tribu Ruben*, Bezer, Iahza, Kedemoth, Mephahath; in *Tribu Gad*, Ramoth-Gilead, Mahanaim, Hesbon, Iaëſer.

5. *Perfugii Vrbes VI.*: *Kedes*, in tribu Nephtali; *Golan* Baſchanis, in tribu Manaſſe; *Sechem*, in tribu Ephraim; *Hebron*, in tribu Iuda; *Bezer*, in tribu Ruben; *Ramoth Gilhadis*, in tribu Gad.

6. *Decapolis*, Decem Ciuitatum, *cis Iordanem*: Caeſarea Philippi, Hazor, Kedes, Corazin, Capernaum, Bethſaida, Iotapata, Tiberias, Bethſan, ſeu Scytopolis, Gadara.

7. *Decapolis*, Decem Ciuitatum, *trans Iordanem*: Aſtharoth, Abela-Vinearum, Edrei, Mizpe, Iabes, Ramoth in Gilead, Chorazin, Gamala, Gadara, Iulias.

8. *Decapolis Plinii*, Damaſcus, Opoton, Philadelphia, Raphana, Scytopolis, Gadara, Hippos, Pella, Galaſa, Canatha.

9. *Portus*: Acco ſeu Ptolomais, Caeſarea Palaeſtinae, Ioppe, Iamnia, Aſcalon, Maiama ad Gazam.

§. XIII.

Quod, ad *naturalem* regionis *ſtatum*, adtinet.

1. Regio *Palaeſtinae*, in qua, *ſalubre* coeli *temperamentum*, (Maio ineunte, meſſis frumenti fieri ſolet) olim quidem, omnium rerum *copia*, pro felicitate diuinitus data, *abundans* fuerat; nunc, propter popu-

lum

lum exſecratum, et crebras Arabum excurſiones, non ſolum inops, verum, ſterilis etiam, multis in locis, atque inculta eſt.

2. Proferebat quondam, ex *vegetabilibus*, frumentum, vinum, oleum, cedrum, cupreſſum, palmas, lignum caeduum, mala punica, ficus, amygdalas, cannam, nuces, balſamum, cannabim, linum, goſſypium; ex *animantibus*, pecus, cumprimis boues, capras, oues, feras diuerſi generis, aues ſilueſtres, piſces, apes, mel, ceram, lanam; ex *foſſilibus*, metallum, ſal, vitrum, cetera. Sed nec hodie rerum harum penitus inops eſt Palaeſtina.

3. Incolebant regionem, *primum* quidem, Chiuaei, Perizaei, Cananaei, Iebuſaei, Girgaſchaei, Emoraei, Chittaei, iisque intermixti, Caenaei, Ceneſaei, Cadmonaei, Rephaim ſeu Rephaenſes: *poſtea* Iudaei, Samaritani; et in *limitibus*, Phoenices, Syri, Ammonitae, Moabitae, Madiani, Nabataei, Idumaei, Amalekitae, Philiſtaei. Hodie in hac regione habitant Turcae, Arabes, Iudaei, Samaritani et Chriſtiani.

4. Sermo, quo *Palaeſtini* loquebantur, duplex fuerat in vſu. *Ebraeus*, primum quidem purus; poſtea, Chaldaeo et Syriaco idiomate permixtus; cuius dialectus peculiaris, ore proferebatur *Galilaeo*. *Samaritanus*, ex Chaldaea atque Ebraea dictione, coaluerat.

5. Cultiſſimus Ebraeorum populus, *tempore antiquo*, *partim*, ſapientiae, artium, et rei militaris ſtudiis; *partim*, negotiatione, et ſingulari, agrariae pecuariaeque rei, procuratione, non minus *gloriam*, quam *opes* regionis, augebat mirifice. Tempore hodierno, Iudaei in Palaeſtina, Saphati atque Tiberiade, ſpeciem quandam Academiarum habent.

§. XIV.

Quoad *ciuilem* Palaeſtinae *ſtatum*:

1. Regiminis *forma*, variam, pro conuerſione reipublicae, habuit

habuit viciſſitudinem. Namque, ſub *Iudicibus*, regimen erat *Theocraticum*; ſub *Regibus*, *Monarchicum*, idque, apud Iudaeos ad ſtemma Dauidis Regis, iure haereditario adſtrictum; ſub *Principibus* et *Sacerdotibus*, poſt captiuitatem Babylonicam, *Ariſtocraticum*; poſtea, ſub *Romanis*, in *Prouinciale Regium*, transmutatum.

2. Adminiſtrabatur illud, in ſtatu Ariſtocratico, per *Synedria*. Primum omnium erat *Synedrium Maximum*, quod, ex LXX. viris, et, Praeſide Principe, Hieroſolymis, conſtabat. *Minora Synedria* duo, quae ex XXIII. viris coaluerant, et quorum ſedes adaeque Hieroſolymae fuerat, minoris erant auctoritatis. *Minima Synedria*, trium virorum, in omnibus vrbibus, oppidis, ac vicis, de rebus leuioribus iudicium ferebant. Vid. Matth. V, 22.

3. Religio Ebraeorum, cum *Patriarchalis*, tum *Moſaica*, primum quidem, *vna* tantummodo fuerat, eaque pura: poſtea, diuiſo regno, in *Veram* atque *Erroneam*, diſtincta.

4. Vera *Religio*, cui *Moyſes*, iuſſu diuino, diuerſos praeſcripſerat ritus, partim per *ſacrificia*, quae mortem Meſſiae adumbrabant, in *tabernaculo*, et templo *Hieroſolymitano*; partim, per preces, et verbi diuini lectionem, in *Synagogis*, a *Sacerdotibus* atque *Levitis*, quibus *Sacerdos Summus* praeerat, quotidie, cumprimis *Sabatho*, feriisque ſolemnioribus, obſeruabatur: et, vbi a praeſcripta diſcedebat norma, a *Vatibus diuinis*, impulſu emendabatur diuino.

5. Erronea *Religio*, ad quam, Indigenae deflexerant, primum quidem, apud Iſraelitas, exemplo Phoenicum, *Idololatrica*; poſtea vero, apud Chuttaeos, ſub templo ſecundo, conflata ex Paganiſmo et Iudaiſmo, *Samaritana*, in vſu fuerat. Aetate noſtra in *Karaeos* et *Rabbanitas*, ſeu *Thalmudiſtas*, diuidi poſſunt Iudaicae religionis ſocii.

6. Ad

6. Ad religionem erroneam, *Haereſes* Ebraeorum pertinent. *Maiores* haereſes erant, *Phariſaeorum*, *Sadducaeorum*, *Eſſaeorum*. *Minoris* nominis, Herodianorum, Gaulonitarum, Samaritarum, qui mores Chuttaeorum imitabantur.

7. Litteris, et *Sapientiae*, veteres Ebraei, ſumma cum cura incumbebant. Praeter *ſapientiam* ſacro comprehenſam codice, excolebant ii, cum diuerſis *artibus*, *naturalem* atque *moralem Philoſophiam*, *Matheſim*, *Hiſtoriam*, *Poeticam* et *Grammaticam*, in eaque, Ebraeum, Chaldaeum, et Syriacum, ſermonem.

8. Tradebantur haec ſapientiae ſtudia, ſub templo quidem primo, in *Prophetarum* ſcholis, et *Leuitarum* ac *Sacerdotum* oppidis; ſub templo ſecundo, *Rabbinorum*, qui peregrinae philoſophiae plerumque dediti erant, induſtria, in *Synagogis*, quae, vt a Synagogis precationum, ſeu *Beth-Hak Keneſeth*, diſtinguerentur: *Beth-Medraſchoth*, iſt eſt, Domus doctrinae, adpellabantur.

9. Nummorum vſus, veteribus Ebraeis ignotus fuit. Vtebantur namque, auro et argento non ſignato, ſecundum pondus. 1. *Siclus* ſacer, dimidium; profanus, quadrantem Thaleri, ponderabat; cuius pars quarta, *Drachma*; dimidia, *Didrachma*; viceſima, *Gira* ſeu *Cheſita*, et *Agora*, vocabatur. Secus diuidi ſiclus ſolet in *vulgarem* et *ſanctuarii*. Ille duas drachmas, hic quatuor, id eſt, noſtros 16. groſſos valebat, cuius epigraphe vna ex parte erat: *Sekel Izrael*; in altera: *Hekadoſch. Ieruſalem*. 2. *Mina*, 240. drachmas, ſeu 45. fl. Rh. continebat. 3. *Talentum* auri et argenti, ſeu *Ciccar*, duplex fuerat, *Sacrum* et *Profanum*; illud 1500. Thaleris valebat.

SECTIO

SECTIO II.

In qua,

TABVLA GEOGRAPHIAE SYNOPTICA.

PRAECOGNITA.

I. DEFINITIO ac DIVISIO GEOGRAPHIAE.

1. Definitio. *Geographia* est notitia Orbis terrarum, diuersis circulis ac regionibus distincti, et aquis intermixti.

2. Diuisio. Diuiditur, in Partem *Generalem* et *Specialem.*

3. Pars Generalis, in *Mathematicam*, *Physicam* et *Politicam;* Specialis, in *Europam*, *Asiam*, *Africam*, *Americam*, et *Terras Incognitas*, subdiuiditur.

II. HISTORIA, et ADIVMENTA GEOGRAPHIAE.

1. Geographiae notitia, ab *Aegyptiis* et *Phoenicibus*, ad *Graecos*, *Romanosque*, et ab iis, ad *Europaeos*, translata est.

2. Adiumenta Geographiae, ex *Institutionibus*, *Lexicis*, *Tabulis*, *Sphaeris*, atque *Atlantibus*, petuntur.

PARS I. GENERALIS.

NOTITIA ORBIS TERRARVM IN GENERE.

I. NOTITIA TELLVRIS MATHEMATICA, in qua considerantur:

1. Figura telluris, sphaerica, eaque *oualis.*

2. Magnitudo, quoad *mensuras rectas*, vt, Linea, Granum, Pes, Pollex, Passus, Milliare; quoad *obliquas*, Gradus, Minutum primum, secundum, tertium. cet.

3. Po-

3. Poli II. *Arcticus* et *Antarcticus.*

4. Puncta verticalia: *Zenith* et *Nadir.*

5. Plagae cardinales: *Septentrio*, *Oriens*, *Meridies*, *Occidens.*

6. Circuli Maiores VI.: *Horizon*, *Aequator*, *Zodiacus*, *Meridianus primus*, cum Vicariis XXXV. *Coluri*, Aequinoctiorum et Solſtitiorum, duo.

7. Circuli Minores, iique,

a Tropici II. *Cancri* et *Capricorni.*

b Polares II. *Arcticus* et *Antarcticus.*

c Paralleli, iique *Veri* XC. *Semihorarii* LX. *Vicarii* XVIII.

8. Zonae V. *Torrida* vna; *Temperatae* duae; *Frigidae* duae.

9. Climata, eaque,

a Propria, totidem, quot *Veri* et *Semihorarii* Circuli Paralleli.

b Impropria, ſicuti *Circuli* Vicarii Paralleli XVIII.

10. Diſtantia Geographica, cuius ſpecies ſunt: *Longitudo* et *Latitudo* loci.

11. Amplitudo locorum *Geographica*, cum *Longitudine Semihoraria*, ſecundum Circulos Parallelos, atque Climata, cognoſcenda.

12. Sphaera *artificialis*, eiusque vſus, in *recto*, *obliquo*, et *parallelo*, ſitu.

13. Tabulae Geographicae, *vniuerſales*, *ſpeciales*, et *ſpecialiſſimae.*

II. NOTITIA TELLVRIS PHYSICA, in qua obſervantur:

1. Atmoſphaera, in eaque, *meteora*, aquea, ignita, emphatica.

2. Aqua,

2. Aqua, quae, partim in telluris ſuperficie *profluit*, aut *conſiſtit*; partim *permeat*, loca ſubterranea.

3. Terra, quae, vel aquis ſuper tellure *adluitur*; vel, in ſuperficie telluris *prominet*; vel, telluris *ſubeſt ſuperficiei*.

4. Res, quas tellus profert, ſunt: *vegetabilia*, *animantia*, *foſſilia*.

III. NOTITIA TELLVRIS POLITICA, in qua praecognoſcitur:

1. Status *Domeſticus*, generatim, in *Coniugalem*, *Paternum* atque *Herilem*; ſpeciatim, in *Ruſticum* atque *Vrbanum*, ſubdiuiſus.

2. Status *Ciuilis*, in *Imperia*, *Ducatus*, *Principatus*, *Reſpublicas*, *Comitatus*, *Ciuitates* et *Villas*, diſtinctus.

3. Status *Militaris*, ex *Ducibus* et *Militibus* compoſitus, *Exercitum*, *Adparatum*, et *Munitiones*, ambitu ſuo complectitur.

4. Status *Eccleſiaſticus*, ex *Sacerdotibus* atque *Ordinibus religioſis*, conſtat.

5. Status *Litterarius*, in *Academias*, *Gymnaſia*, *Scholas*, et *Societates Litterarias*, diſtinguitur.

PARS II. SPECIALIS.

E V R O P A.

I. ORBIS TERRARVM, in *Terram* atque *Oceanum*, diſtinguitur.

1. Terra Firma, Partibus IV. abſoluitur: *Europa*, *Aſia*, *Africa*, *America*, quibus *Terrae Incognitae*, adnecti ſolent.

2. Oceanus, in *Septentrionalem*, *Orientalem* et *Pacificum*, *Meridionalem Aethiopicum*, et *Occidentalem Atlanticum*, diffunditur.

II. EVROPA, ſub Zona temperata ſeptentrionali, iacet.

1. Fines: Oceanus Glacialis, ad *ſeptentrionem*; Volga et Tanais flumina, cum Ponto Euxino, ad *ortum*; Mare Mediterraneum, ad *meridiem*; Oceanus Occidentalis, ad *occaſum.*

2. Diuiditur generatim, in *Regiones* XXV.

3. Regimen, in *Imperia* III. *Regna* XII., *Ducatus* et *Principatus* diuerſos, *Reſpublicas Maiores* V., *Ditiones Sacras* II., diſtinguitur.

4. Religio, *Chriſtiana*, eaque, Romano-Catholica, Euangelica, et Reformata, *Occidentalis*; Graeca Ruſſica *Orientalis*. 2. *Mahometana*, in Turcia. 3. *Pagana*, in Lapponia.

III. PORTVGALLIA, *Luſitania*, Regnum, in *occaſu.*

1. Fines: Gallicia, in *ſeptentrione*; Hiſpania, in *ortu*; Mare Atlanticum, in *meridie* et *occaſu.*

2. Diuiditur, in *Regna II.* ſeu *Prouincias* VI.

3. Metropolis, et Regia, *Liſabona.*

4. Archiepiſcopatus, Metropolitanus, *Braga.*

5. Regimen, *Monarchicum*, Brigantinorum *haereditarium.*

6. Religio, *Romano-Catholica*, ſola.

7. Rex, IOSEPHVS I. *Fideliſſimus* ab anno 1750.

IV. HISPANIA, Regnum, in *occaſu.*

1. Fines: Oceanus Cantabricus, in *ſeptentrione*: Montes Pyrenaei, in *ortu*; Mare Mediterraneum, in *meridie*; Portugallia, et mare Atlanticum, in *occaſu.*

2. Diuiditur, in *Regna* XIV., et *Inſulas* IV.

3. Metropolis, et Regia, *Madritum.*

4. Archiepiſcopatus Metropolitanus, *Toletum.*

5. Re-

5. Regimen, *Monarchicum*, Andegauienſium *haereditarium.*

6. Religio, *Romano-Catholica* ſola.

7. Rex, CAROLVS III. *Catholiciſſimus*, ab anno 1759.

V. GALLIA, *Francia*, Regnum, in *occaſu.*

1. Fines: Oceanus Britannicus, in *ſeptentrione*; Belgium, Lotharingia, Heluetia, cum Italiae parte, in *ortu*: Mare Mediterraneum, *in meridie*; montes Pyrenaei, cum mari Aquitanico, in *occaſu.*

2. Diuiditur, in *Praefecturas* XII.

3. Metropolis, et Regia, *Pariſii*, ſeu *Lutetia.*

4. Archiepiſcopatus Metropolitanus, *Rhemi*, *Rheims.*

5. Regimen, *Monarchicum*, Borboniorum *haereditarium.*

6. Religio, *Romano-Catholica.*

7. Rex, LVDOVICVS XVI. *Chriſtianiſſimus*, isque *Catholicus*, ab anno 1774.

VI. LOTHARINGIA, *Lorraine*, Ducatus, in *occaſu*, a morte Stanislai Leſtinſzkii, cum Gallia coniunctus.

1. Fines: Ducatus Luxenburgicus, in *ſeptentrione*; Palatinatus Rheni, cum Alſatia, in *ortu*; Comitatus Burgundiae, in *meridie*; Campania Franciae, in *occaſu.*

2. Diuiditur, in *Regiones* III.

3. Metropolis, *Nancy.*

4. Regimen, *Monarchicum*, iuris Francici.

5. Religio, *Romano-Catholica.*

VII. MAGNA BRITANNIA, Regnum, in *ſeptentrione.*

1. Fines: Oceanus Deucaledonius, in *ſeptentrione*; Oceanus Britannicus, cum mari Germanico, in *ortu*; Mare Britannicum, cum freto, in *meridie*; Oceanus Occidentalis, in *occaſu.*

2. Diuiditur, in *Regna* III. *Angliam*, *Scotiam*, *Hiberniam.*

3. Metropolis Angliae, *Londinum*; Scotiae, *Edenburgum*; Hiberniae, *Dublinum.*

4. Regia, *Londinum*, cum *Hampton Court*, et *Kenſington*, palatiis.

5. Archiepiſcopatus Metropolitanus, in Anglia, *Cantuaria*, *Canterburi*; in Scotia, *Andrews*, *Andreopolis*; in Hibernia, *Armagh*, *Armacha.*

6. Regimen, *Monarchico-Ariſtocraticum*, Hannouerano-rum *haereditarium.*

7. Religio, *Reformata*, in Epiſcopalem Anglicanam, et Presbyterianam, diuiſa; item, *Romano-Catholica.*

8. Rex, GEORGIVS III. *Defenſor Fidei*; isque *Reformatus Anglicanus*, ab anno 1760.

VIII. BELGIVM, *Germania Inferior*, *Niederland*, in *occaſu.*

1. Fines: Mare Germanicum, in *ſeptentrione*, Germania, in *ortu*; Lotharingia et Campania, in *meridie*; Picardia, cum Mari Germanico, in *occaſu.*

2. Diuiditur, in FOEDERATVM, et CATHOLICVM BELGIVM, et illud quidem, in VII.; iſtud, in X. *Prouincias.*

3. Metropolis, in Belgio Foederato, *Amſtelodamum*, et *Haga Comitum*; in Catholico, *Bruxellae* Auſtriacorum; et *Ryſſel*, Gallorum.

4. Archiepiſcopatus Metropolitanus, *Mechlinia.*

5. Regimen, in Belgio Foederato, *Ariſtocraticum*; in Catholico, *Prouinciale Regium.*

6. Religio, in Belgio Foederato, *Reformata Caluiniana*, et *Arminiana*; in Catholico, *Romano-Catholica.*

7. Exarcha Belgii Foederati, WILHELMVS V. Princeps Arauſionenſis. *Reformatus*, ab anno 1767.

IX.

IX. HELVETIA, *die Schweitz*, Reſpublica, in *medio*.

1. Fines: Suevia Germaniae, ad *ſeptentrionem*; Comitatus Tyrolis, ad *ortum*; Italia, ad *meridiem*; Gallia, ad *occaſum*.

2. Diuiditur, in *Ciuitates Foederatas*, ſeu *Cantones* XIII.; *Conuentus ſubditorum* XII. *Foedera ſociorum* IX.

3. Metropolis; *Baden*, in qua, comitia populi.

4. Regimen, *Democraticum*, ſeu *Populare*.

5. Religio: *Romano-Catholica*, et *Reformata Caluiniana*.

X. ITALIA, *Welschland*, Regio, meridionalis.

1. Fines: Heluetia et Germania, in *ſeptentrione*; Mare Adriaticum et Ionicum, in *ortu*; Mare Mediterraneum, in *meridie*; Mare idem, atque Gallia, in *occaſu*.

2. Diuiditur, in *Ditiones Sacras* II., *Regna* IV., *Ducatus* VIII., *Reſpublicas Maiores* III.

3. Metropoles, et ſedes regiminis, in Ditione Eccleſiaſtica *Roma*; in Regno Neapolitano, *Neapolis*; Regis Sardiniae, *Auguſta Taurinorum*; in Ducatibus Auſtriacis, *Mediolanum*; in Magno Hetruriae, *Florentia*; in Mutinenſi, *Modena*; in Republica Venetarum, *Venetia*; in Republica Genuenſi, *Genua*; in Republica Luccenſi, *Lucca*; in Malta Inſula, *Valette*.

4. Patriarchatus Occidentalis Metropolitanus, *Roma*, ſedes Summi Pontificis.

5. Regimen, in Ditione Eccleſiaſtica, *Hierarchicum*; in Regnis et Ducatibus, *Regium*; in Rebuspublicis, *Ariſtocraticum*; et apud Luccenſes, *Democraticum*.

6. Religio, *Romano-Catholica* ſola.

7. Imperantes in Italia: 1. Summus Romanorum Pontifex, PIVS VI. ab anno 1775. 2. Rex Sardiniae: VICTOR AMADAEVS MARIA, ab anno 1773. 3. Rex vtrius-

vtriusque Siciliae: FERDINANDVS ANTONIVS, ab 1759. 4. Magnus Dux Hetruriae: PETRVS LEOPOLDVS, Archi Dux Auſtriae, ab anno 1765. 5. Dux Mantuae, Mediolani, cet. MARIA THERESIA, Auguſta, et Regina Hungariae, ab anno 1740.

XI. GERMANIA, *Deütsland*, *Allemagne*, *Német-Orſzág*, Imperium, in medio Europae.

1. Fines: Mare Germanicum, atque Balthicum, in *ſeptentrione*; Boruſſiae, Poloniae, Bohemiae, et Hungariae Regna, in *ortu*; Italia et Helvetia, in *meridie*; Gallia, Lotharingia, Belgium, in *occaſu*.

2. Diuiditur, in *Circulos* X. in iisque, *Electoratus* IX. *Archiducatum* I. *Ducatus*, *Marchionatus*, *Principatus* et *Comitatus* diuerſos.

3. Metropoles et Regiae ſunt: Vienna, *Auſtriae* metropolis, *Imperatoris* regia; Moguntia, Colonia, Treuiri, Monachium, Dresda, Berolinum, Manheimium, Hannouera, *Electorum*, ſedes.

4. Archiepiſcopatus Metropolitani: *Moguntinus*, per Germaniam; *Treuirenſis*, per Galliam; *Colonienſis*, per Italiam, Cancellarii.

5. Regimen Germaniae, in *Syſtema* extraordinarium redactum; idque, ad formam *Monarchico Ariſtocraticam*, accommodatum, quoad *electionem* liberum eſt.

6. Religio, *Romana Catholica*, et, *Auguſtanae*, atque *Helueticae* Confeſſ. *Proteſtantium*, Euangelica, pari in Germania libertate, fruitur.

7. Electores ſunt: 1. Moguntinus: FRIDERICVS CAROLVS IOSEPHVS Lib. Bar. de Erthal. elect. 1775. 2. Treuirenſis: CLEMENS WENCESLAVS, Princeps Saxo, *Catholicus*, ab anno 1764. 3. Colonienſis: MAXIMILIANVS FRIDERICVS, Comes a KÖNIGSECK-ROTHENFELS, ab anno 1761. 4. Rex Bohemiae, MARIA THERESIA, *Catholica*, ab anno 1740. 5. Elector Bauariae, MAXIMILIANVS IOSEPHVS *Catholicus*, ab anno 1745. 6. Ele-

Elector Saxoniae: FRIDERICVS AVGVSTVS, *Catholicus*, ab anno 1763. 7. Elector Brandeburgicus, FRIDERICVS II. Rex Boruſſiae, *Reformatus Euangelicus*, ab anno 1740. 8. Elector Palatinus, CAROLVS PHILIPPVS THEODORVS, *Catholicus*, ab anno 1742. 9. Elector Hannoueranus, GEORGIVS III. Rex M. Britanniae, *Reformatus Anglicanus*; ab anno 1760.

XII. DANIA, *Dännemarck*, Regnum *ſeptentrionale.*

1. Fines: Sueciam cum Oceano, habet in *ſeptentrione*; Sueciam, cum mari Balthico, in *ortu*; Holſatiam, in *meridie*; mare Germanicum, in *occidente.*

2. Diſpeſcitur generatim, in tria, DANIAE, NORWEGIAE, et ISLANDIAE Regna. Dania ſpeciatim, in *Iutiae* ac *Sleſuici* continentem, et *Maiores* atque *Minores* Inſulas.

3. Metropolis, cum Regia; *Hafnia*, *Coppenhagen*, Daniae; *Berga*, Norvegiae; *Schalot*, Islandiae.

4. Epiſcopatus Metropolitanus, *Hafnienſis.*

5. Regimen, *Monarchicum*, idque, gentis Oldenburgicae, *haereditarium.*

6. Religio *Euangelica*, Auguſt. Confeſſ. ſola.

7. Regnat, CHRISTIANVS VII. Rex *Euangelicus*, ab anno 1766.

XIII. SVECIA, *Schweden*, Regnum *ſeptentrionale.*

1. Fines: Norvegia a *ſeptentrione*; Ruſſia, ab *ortu*; Mare Balthicum, ab *auſtro*; Dania et Norvegia, ab *occaſu.*

2. Diſtinguitur generatim, in *Prouincias* V.

3. Metropolis, atque Regia: *Stockholmia.*

4. Archiepiſcopatus Metropolitanus, *Vpſalienſis.*

5. Regimen, *Monarchico Ariſtocraticum*, haereditarium.

6. Religio, *Euangelica* Auguſt. Confeſſ. ſola.

7. Regnat, Gvstauus III. *Euangelicus*, ab anno 1771.

XIV. RVSSIA MAGNA, perperam *Moſcouia*, Imperium, in *ſeptentrione* et *ortu*.

1. Fines: Suecia, et Oceanus Borealis, ad *ſeptentrionem*; Aſia cum Tartaria, ad *orientem*; Tartaria Europaea, ad *meridiem*; Polonia, ad *occaſum*.

2. Diuiditur generatim, in *Europaeam*, et *Aſiaticam Ruſſiam*; ſpeciatim, in *Prouincias Maiores* V., diuerſosque *Ducatus*, ſeu in XXI. *Praefecturas*.

3. Metropoles, et Regiae: *Moſcouia*, *Petropolis*.

4. Archiepiſcopatus Metropolitanus, olim Patriarchatus, *Moſcouia*.

5. Regimen, *Monarchicum*, idque, Petri et Ioannis nepotum *haereditarium*.

6. Religio, *Graeca Orientalis*, cui *Occidentalis*, cumprimis *Euangelica*, intermixta eſt.

7. Imperat, Catharina II. religionis *Graecae Orientalis*, ab anno 1762. Succeſſor, Pavlvs Petrovics, anno 1754. genitus.

XV. POLONIA, *Lengyel Orſzág*, Regnum, in *ortu*.

1. Fines: Mare Balthicum, cum Liuonia, in *ſeptentrione*; Ruſſia Magna, in *oriente*; Moldauia, Tranſiluania, Hungaria, in *meridie*; Sileſia, Brandeburgia, Pomerania, in *occaſu*.

2. Diuiditur generatim, in *Prouincias* V., ſpeciatim, in *Palatinatus* XXXII.

3. Metropoles: *Cracouia*, *Warſouia*, Poloniae; *Grodno*, Lithuaniae; *Dantiſcum*, Boruſſiae; *Mietau*, Curlandiae.

4. Archiepiſcopatus Metropolitanus, *Gneſnenſis*.

5. Re-

5. Regimen, *Monarchico democraticum;* idque, quoad *electionem*, liberum.

6. Religio, *Romano-Catholica*, cui, *Orientalis Graeca*, et, Dissidentium *Lutherana* atque *Caluiniana*, cum *Iudaica* item et *Mahometana*, intermixta est.

7. Regnat, STANISLAVS AVGVSTVS Rex *Catholicus*, ab anno 1764.

XVI. BORVSSIA, *Preüssen, Prussiai Ország*, Regnum, in *ortu*.

1. Fines: Mare Balthicum, in *septentrione*; Lithuania, in *ortu*; Polonia, in *meridie*; Pomerania, in *occasu*.

2. Diuiditur generatim, in *Veterem* et *Nouam*, seu Orient. et Occident. speciatim, Vetus, in *Circulos*.; Noua, in *Praefecturas* IV.

3. Metropoles: *Regiomontum*, *Königsberg*, Veteris, *Mariaeburgum*, Nouae Borussiae.

4. Archiepiscopatus *Metropolitanus*, idem qui in Polonia.

5. Regimen *Monarchicum*, idque, domus Brandeburgicae, *haereditarium*.

6. Religio, *Euangelica*, *Catholica*, *Reformata*.

7. Regnat FRIDERICVS II. Rex *Reformatus Euangelicus*, ab anno 1740. Successor, FRIDERICVS WILHELMVS, anno 1744. natus.

XVII. BOHEMIA, *Tseh Ország*, *Regnum*, cum adnexis Prouinciis, in *medio*.

1. Fines: Saxonia Superior, in *septentrione*; Polonia, in *ortu*; Hungaria, Austria, in *meridie*; Bauaria et Franconia, in *occasu*.

2. Diuiditur generatim, in *Bohemiam*, *Silesiam*, *Lusatiam*, *Morauiam*; speciatim, in Circulos et Principatus.

3. Metropoles: *Praga*, Bohemiae; *Wratislauia*, Sileſiae; *Bautzen*; Luſatiae; *Brünna*, Moraniae.

4. Regimen *Monarchicum*, idque, in Bohemia, Moravia, et Sileſia Superiore, *Auſtriacae*; in Sileſia Inferiore, *Brandeburgicae*; in Luſatia, *Saxonicae* domus *haereditarium*.

5. Religio: in Bohemia et Morauia, *Catholica* ſola; in Sileſia et Luſatia, *Euangelica* et *Catholica*.

6. Regnant: MARIA THERESIA, Regina Hungariae, *Catholica*, ab anno 1740. FRIDERICVS II. Rex Boruſſiae, *Reformatus*, in Sileſia, ab anno 1742. FRIDERICVS AVGVSTVS, *Catholicus*, in Luſatia, ab anno 1763.

XVIII. HVNGARIA, *Magyar Orſzág*, Regnum, in *ortu*.

1. Fines: Sileſia et Polonia, in *ſeptentrione*; Tranſiluania cum Valachia, in *ortu*; Seruia et Slauonia, in *meridie*; Stiria, Auſtria atque Morauia, in *occaſu*.

2. Diuiditur, in *Hungariam*, *Croatiam*, *Dalmatiam*, et *Slauoniam*; Regna IV.

3. Metropoles: *Buda*, *Poſonium*; Regia, *Vienna*.

4. Archiepiſcopatus Metropolitanus, *Strigonium*.

5. Regimen, *Monarchico democraticum*.

6. Religio, *Romano-Catholica*; *Aug.* atque *Heluet.* Confeſſ. *Euangelica*; Graeci Ritus *Orientalis*.

7. Huc retuleris *Galliciam* et *Lodomeriam* regna.

8. Regnat MARIA THERESIA, Regina *Catholica* et *Apoſtolica*, ab anno 1740.

XIX. TRANSILVANIA, *Erdély Orſzág*, Magnus Principatus, in *ortu*.

1. Fines: Hungariae, Poloniae et Moldauiae pars, ad *ſeptentrionem*; Moldauia cum Valachia, in *ortu*; Valachia

lachia cum agro Temeſienſi, in *meridie*; Hungaria, in *occaſu*.

2. Diuiditur, in *Nationes* III. Hungaros, Scythulos, Saxones.

3. Metropolis, *Cibinium*; Regia, *Vienna*.

4. Regimen, *Monarchico democraticum*.

5. Religio, *Romana Catholica*, *Caluiniana*, *Lutherana*, *Socinizna*, *Graeca*.

6. Princeps, MARIA THERESIA, Regina Hungariae, *Catholica*, ab anno 1740.

XX. TVRCIA EVROPAEA, *Török Orſzág*, Imperium, in *ortu*.

1. Fines: Hungaria, Polonia atque Ruſſia, in *ſeptentrione*; Aſia, in *ortu*; Mare Mediterraneum cum Dalmatia, in *meridie*; Slauonia, Hungaria et Tranſiluania, in *occaſu*.

2. Diuiditur, in Turciam EVROPAEAM et ASIATICAM; et haec, in *Prouincias* VIII.

3. Metropoles, atque Regiae, *Conſtantinopolis*, Turciae; *Buchereſt*, Valachiae; *Iaſſy*, Moldauiae; *Bacziaray*, Tartariae.

4. Patriarchatus Metropolitanus Orientis, *Conſtantinopolis*.

5. Regimen, *Monarchico Deſpoticum*.

6. Religio, *Mahometana*, et Orientalis *Chriſtiana*.

7. Imperator, ACHMET IV. *Mahometanus*, ab anno 1774.

A S I A.

I. ASIA, in *ortum* porrecta, ex Zona *temperata* aquilonari, in *torridam* declinat.

1. Fi-

1. Fines: Oceanus Borealis, in *ſeptentrione*; Orientalis, cum India, in *ortu*; Oceanus Indicus, cum Perſico et Arabico, in *meridie*; Mare Mediterraneum, Pontus Euxinus, Tanais atque Volga flumina, in *occaſu*.

2. Diuiditur generatim, in VIII. Regiones Magnas: *Turciam*, *Perſiam*, *Indoſtaniam*, *Indiam*, *Tartariam*, *Chinam*, *Iaponiam*, *Inſulas*.

3. Regimen Aſiae, in *Imperia* VII. *Regna* et *Principatus* diuerſos, diſtinguitur.

4. Religio Aſiae: 1. *Chriſtiana* Orientalis et Occidentalis. 2. *Mahometana*, in Omar et Aly ſectam diuiſa. 3. *Iudaica*. 4. *Pagana*.

II. TVRCIA ASIATICA, Imperii Ottomanici pars, in *occidentali* Aſiae latere.

1. Fines: Pontus Euxinus, cum monte Caucaſo, ad *aquilonem*; Perſia, in *ortum*; Mare Arabicum, ad *meridiem*; Mare Rubrum, Mediterraneum, et Propontis, ad *occaſum*.

2. Diuiditur, in *Prouincias* VII.

3. Metropoles: *Iſmir*, Natoliae; *Bagdad*, Iracciae; *Hieroſolyma*, Palaeſtinae.

4. Patriarchatus Metropolitanus: *Antiochia*.

5. Regimen, *Monarchico Deſpoticum*.

6. Religio, *Mahometana*, et Orientalis atque Armena, *Chriſtiana*.

7. Imperator, ACHMETH IV. *Mahometanus*, ab anno 1724.

III. PERSIA, *Imperium*, in *medio* Aſiae.

1. Fines: Mare Caſpium et Tartaria, in *ſeptentrione*; Indoſtania, in *ortu*; Mare Perſicum, in *meridie*; Turcia, in *occaſu*.

2. Diuiditur, in *Prouincias* XV.

3. Me-

3. Metropolis, et Regia: *Hiſpahan.*

4. Regimen, *Monarchico Deſpoticum.*

5. Religio, *Mahometana, Chriſtiana, Pagana.*

6. Imperat, KERIM CHANY, qui corriuales ſuos, circa annum 1771. oppreſſit.

IV. INDOSTANIA, Imperium, in *medio* Aſiae.

1. Fines: Tartaria, ab *aquilone* et *ortu*; India cis et trans Gangem, a *meridie*; Perſia, ab *occaſu.*

2. Diuiditur, in *Ditiones* XXVIV.

3. Metropoles, et Regiae, *Agra, Iehannebat.*

4. Regimen, *Monarchico Deſpoticum.*

5. Religio, *Mahometana, Chriſtiana, Pagana.*

V. INDIA, Cis et Trans Gangem, Regio, *Meridionalis.*

1. Fines: Indoſtania, in *ſeptentrione*; China, in *ortu*; Oceanus Indicus, in *meridie* et *occaſu.*

2. Diſtinguitur, in *Indiam Cis Gangem*, et *Indiam Trans Gangem*; in quarum vtraque, *Regna* XXVI. numerantur.

3. Metropolium imprimis memoranda, *Goä.*

4. Regimen, *Monarchico Deſpoticum.*

5. Religio, *Pagana, Mahometana, Chriſtiana.*

VI. TARTARIA, Imperium, in *ſeptentrione.*

1. Fines: Oceanus Borealis, ad *ſeptentrionem*; Orientalis, ad *ortum*; China, Indoſtania, Perſia, Turcia, ad *auſtrum*; Tartaria Europaea atque Ruſſia, ad *occaſum.*

2. Diuiditur, in *Tartariam Ruſſicam, Chinenſem, Cantaiſchanam* et *Independentem.*

3. Metropoles, in Tartaria Ruſſica, *Tobolskoy*; in Chinenſi, *Camil*; in Cantaiſchana, *Harca Vrga*; in Independente, *Chiwa.*

4. Se-

4. Sedes Antiſtitis, Dalae Lamae, *Gautala mons.*

5. Regimen, *Monarchico Deſpoticum.*

6. Religio, *Pagana*, *Chriſtiana*, *Mahometana.*

7. Imperator, CANTAISCHA; eo minor, *Padſchach*, dicitur.

VII. CHINA, Imperium, in *oriente.*

1. Finis: Tartaria, in *ſeptentrione*; Oceanus Orientalis, in *ortu*; India, in *meridie* et *occaſu.*

2. Diuiditur, in *Prouincias* XVIII.

3. Metropoles, *Pecking*, *Nanchin.*

4. Regimen, *Monarchico Deſpoticum.*

5. Religio, *Pagana*, in tres ſectas diuiſa.

6. Imperator, THIENV, adpellatur.

VIII. IAPONIA, Imperium, in *ortu*, extremum.

1. Fines: Oceano Orientali, ex *omni latere* terminatur.

2. Diuiditur, in *Inſulas Maiores* III. *Minores* XXIV. in iisque, *Prouincias* LXVI.

3. Metropoles: *Yeddo*, *Oſacka.*

4. Sedes Antiſtitis, Dairo, *Meaco.*

5. Regimen, inter *Imperatorem*, et *Antiſtitem Dairo*, diuiſum eſt.

6. Religio, *Pagana*, Chinenſi cognata.

7. Imperator, CVBE, vocatur.

IX. INSVLAE INDIAE, in *ortu* et *meridie.*

1. Fines: *Oceano Indico* circumſcribuntur.

2. Diſtinguuntur, in *Conglomeratas* VI. et *Diſiunctas.*

3. Metropoles praecipuae: *Manilla*, *Borneo*, *Batauia*; *Male Dive.*

4. Re-

4. Religio, *Pagana*, *Mahometana*, *Christiana*.

5. Regimen, *Despoticum*, inter *Indigenas*, *Hispanos*, *Anglos* et *Batauos*, diuisum est.

AFRICA.

I. AFRICA, *Zonae torridae*, maiore sui parte subiecta, ad *astrum* declinat.

1. Fines: Mare Mediterraneum, in *septentrione*; Isthmus cum sinu Arabico, in *ortu*; Oceanus Aethiopicus, in *meridie*; Oceanus Atlanticus, in *occasu*.

2. Diuiditur, in *Regiones* XI. et *Insulas*.

3. Regimen, in *Imperia* III., *Regna Maiora* XI., *Minora* innumera; *Respublicas* III., *Prouincias Europaeorum*, sextuplices, distinguitur.

4. Religio, *Christiana*, eaque, Africana et Europaea; *Mahometana* item, item, *Iudaica* et *Pagana*, sedem habet in Africa.

II. BARBARIA, Regio *septentrionalis*.

1. Fines: Mare Mediterraneum, in *septentrione*; Aegyptus, in *oriente*; Sarae Deserta, in *meridie*; Oceanus Atlanticus, in *occasu*.

2. Diuiditur, in *Regna* VII., quorum tria, *Imperium Fessano Maroccense* constituunt.

3. Metropoles: *Fez*, *Marocco*, *Oran*, *Alger*, *Tunis*, *Tripoli*, *Barca*.

4. Regimen, in Imperio, *Monarchicum*; in Rebuspublicis, *Aristocraticum*.

5. Religio, *Mahometana*, et *Christiana Catholica*.

III. SARA, *Desertum*, in eadem plaga, Tropico Cancri subiectum.

1. Fines: Barbaria, ad *septentrionem*; Aegyptus, ad *ortum*;

